SYNODUS DIŒCESANA ECCLESIÆ ARIMINENSIS.

SYNODUS DIŒCESANA

Ab Em̃o, & Rm̃o D. D.

DOMINICO MARIA

S. Euſtachii S. R. E. Diacono

CARDINALI CURSIO

EPISCOPO ARIMINENSI

In Eccleſia Cathedrali Arimini celebrata

Anno Domini M. DC. XCVI.

ARIMINI

Apud Impreſſores Epiſcopales.

INDEX TITULORUM,

Qui in quatuor Partibus Synodi continentur.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

De-

PARS TERTIA.

PARS QUARTA.

De

ER-

ERRATA.		CORRECTIONES.
Pag. 11. lin. 23.	adimendi	adimendo
14. l. 23.	perfectum	profectum
20. l. 7.	nunquam ita	numquam item
24. l. 13.	hoc maximè	huic maximè
31. l. 34.	possit	ut possit
38. l. 28.	removeantur	removeatur
42. l. 12.	maxima reum	maxima rerum
45. l. 2.	vitii lacerare	vitiis lacerare
l. 7.	pertinere	permanere
l. 24.	fuerint	fuerint ad tempus
48. l. 29.	sacrilegii	sacrilegè
49. l. 14.	ac destinatè	ac distinctè
l. 27.	quod si	si
50. l. 13.	differant	differat
51. l 11.	hujusmodi	hujusmodi suggerant.
52. l. 6.	opportuni	opportunè
53. l. 24.	multis tuis illis, qui	mulctatis, seu illis, quibus
56. l. 21.	circa ipsa	contra ipsa
63. l. 22.	tentaverit	tentaverint
67. l. 11.	tegant	tegat
l. 16.	uniearum	uncirum
l. 24.	longitudine cubitorum duorum	ita & longitudine
70. l 15.	& Sancto	& Sabbatho Sancto
72. l. 2.	præsenter	prestanter
l. 32.	circa pleniam	circa plurium
74. l. 2.	nec se desiderari permittere	non se desiderari permittant
77. l. 6.	ipse	ipsæ
l. 11.	decem aureorum	duorum aureorum
80. l. 19.	si minus	sin minus
84. l. 34.	Laniorum	Lanionum
85. l. 25.	vices continuus	vices continuas
87. l. 2.	tum Campanarum	Turri Campanarum
89. l. 9.	careat	caveant
92. l. 29.	in Congregationem, &	in Congregatione
93. l. 22.	in districtus	in districtu
101. l. 13.	Prædecessori	Prædecessoris
103. l. 5.	propriis	proprii
104. l. 16.	recusetur	probetur
105. l. 8.	induere	inducere
l. 12.	Ecclesia sui	Ecclesiarum
107. l. 4.	absolute	obsoleta
118. l. 13.	pro Domino	in Domino
120. l. 21.	& Christo	ut Christo
129. l. 23.	hinc	hivè
132. l. 9.	& in jugibus	atque jugibus
134. l. 4.	nec convenientes	nec conniventes

SYNO-

SYNODUS DIŒCESANA ECCLESIÆ ARIMINENSIS

PARS PRIMA

TITULUS PRIMUS

De Fide Catholica, & ejus Professione.

§. I.

Idem, quam veluti lampadem Christus adveniens errantibus exhibuit, viam monstraturus, qua possit Deus ignotus requiri, & quæsitus credi, huic nostræ Diœcesanæ Synodo tamquam primam, & initialem honorificentiam optamus, & ponimus. Cùm igitur ipsa Caput humanæ mentis, nempè intellectum, ad adorandam, & venerandam altissimam Dei Majestatem primum incurvet; Nos cum Apostolo redigere omnem intellectum in obsequium fidei cupientes, omnibus, & singulis nostræ Jurisdictioni subjectis strictè mandamus, ut ea servent, & profiteantur, quæ ab Ecclesia catholica creduntur, & docentur.

Euseb. Emyss. hom. 2. de Simb.

S. Bern. Senen. t. 1. serm. 2. in princip.

Et primò, cum hæc propositio: *Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi Præceptorum Divinorum ad dictas Virtutes pertinentium*, damnata jam sit; enixè in Domino hortamur Parochos, ut Populum ad Ecclesiam confluentem sæpissimè invitent ad actus harum Virtutum eliciendos, & præcipuè fidei, sine qua impossibile est placere Deo, qui enim non credit, jam judicatus est. Id opportunè

Prop. damn. ab Innoc. XI.

Ad Hebr. 6. Joan. 2. 8.

tunè fiet si magnitudo explicabitur Beneficij, quod Deus Ecclesiæ suæ contulit, Mysteria fidei illi revelando: Si curent alta Voce, & Vernacula lingua ab omnibus Symbolum Apostolorum recitari: Si demum fervorem adeò in cordibus excitent, ut non solum mente quisque sua firmissimè proponat, sed etiam Verbis publicè profiteatur malle se libenti animo mortem subire, quàm umquam à Catholica fide deficere.

Cant. 6. 8. Ita in omnibus erit viva fides, quam Sponsa in Canticis voluit poni super Cor fidelium, ut credant, quæ à prima Veritate revelantur, & sicut signaculum super Brachium, ut id quod credunt, opere confirment; nam corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ità quisque Dei servus fidelis, & prudens erit, cum ex D. Gregorio: Vera fides sit, quæ hoc, quod Verbis dicit, moribus non contradicit.

Ad Rom. 10. 10.

S. Greg. hom. 29. in Evang.

§. II.

PRofessionem ejusdem fidei altiori modo faciendam, quam singuli de Populo, Religiosis, & celebrioribus Viris præcipimus. Itaque omnes, qui de Beneficijs Curam Animarum habentibus, provisi fuerint, intra duos menses à die adeptæ possessionis in manibus nostris, vel nostri Vicarij Generalis Professionem ejusdem emittant, quique per Procuratorem speciale mandatum habentem, emiserint, iterùm per se ipsos renovent. Qui eam neglexerint sciant, se juxta Concilij Tridentini, & Pij IV. sanctiones etiam absque prævia hominis declaratione fructus suos non facere, nec regula de annuali, vel pacifica possessione se tueri posse quoad dictos fructus percipiendos. Hoc item omnes provisos de Canonicatibus, ac Dignitatibus in nostra Cathedrali Ecclesia infra eumdem terminum præstare volumus.

Id insuper servari præcipimus per Concionatores tùm sæculares, tùm Regulares, Lectores Sac. Theologiæ, Sacerdotes omnes ad Confessiones audiendas addictos, Vicarios foraneos, Procuratores fiscales, Cancellarios nostræ Curiæ, Magistros Grammaticæ, Medicos, Chirurgos, Jurisconsultos, qui publicè scientias suas docere, vel exercere volunt in locis nostræ Jurisdictioni subjectis; Typographos, ac omnes alios, quibus dictam

dictam emittere professionem injunctum est. Qui id facere negligenter omittunt, ab eorumdem munerum exercitio excludi, alijsque gravioribus pœnis ad arbitrium nostrum plecti mandamus.

Quæ omnia, ut executioni omninò demandentur, Parochorum Curæ committimus, qui studiosè inquirant, quinam ex obligatis ad fidei Professionem in sua Paræcia, vel Plebania morentur, & eorum nomina ad Nos, seù ad nostrum Vicarium Generalem intra Mensem deferant. Igitur Parochus, quotiescumque intrà ejus Parochiæ limites Magister Grammaticam, seù Rethoricam privatim, aut publicè docturus habitatum venerit, ei statim interdicat, nè quem prius docere incipiat, quam professionem fidei vel in manibus nostris, vel nostri Vicarij emiserit, neque id docendi munus ab eo exerceri patiatur; donec à Nobis certior sit factus, ipsam fidei professionem emisisse. Hoc idem servet quoad Chirurgos, & Medicos, hosque ulterius moneat de Juramento, quod præstare tenentur de diligenter observanda Constitutione Pij IV. quæ incipit: *Super Gregem*.

Tandem, ut semper appareat de illis, qui fidei professionem emiserint, Cancellario nostræ Curiæ committimus, illorum Nomina, Cognomina, & Patriam adnotare in libro ad hunc usum in Episcopali Archivio asservando duobus testibus adhibitis, cum causa, loco, die, & anno, ut Nos quoties voluerimus eorum anteactæ vitæ rationem, & mores perquirere valeamus.

TITULUS SECUNDUS.

De Hæreticis, Fideique Adversarijs.

§. I.

QUoniam maximè nostræ sollicitudinis est, Fidem, quam professi fuimus, illibatam ab omni contagione servare, omnemque suspicionem illius à nostro Grege auferre, strictè mandamus, nè quis Hæreticos, Schismaticos,

aut quovis modo de Hæresi suspectos domi recipere, aut cum eis familiaritatem habere præsumat, sub pœnis Sacrorum Canonum, & Bullæ Cœnæ Domini. Volumus enim nulla cum talibus commercia, nulla colloquia, nullaque convivia misceri, atque ab eis tam separari, quam illi sunt ab Ecclesia profugi.

S. Cyprian. lib. 1. Epist. 3. ad Corn.

Immò quia multóties aliqui lectioni Librorum hæreticorum sese dederunt hoc fundamento alios ab eorum erroribus revocandi, ex quo postea ipsismet fallacijs, & falsis adinventionibus irretiti remanserunt, cuicumque nostræ Ditioni subjecto non tantùm lectionem librorum eorumdem, verum etiam omnimodam retentionem sub pœnis excommunicationis, alijsque in Regulis Indicis contentis, & in Constitutione B. Pij V. comprobatis prohibemus: Quamvis enim aliquando sint in Hæreticorum scriptis quædam, quæ videantur eruditionis, & pietatis specimen habere, numquam tamen vacua sunt venenis: Miscent enim recta perversis, ut ostendendo bona, lectores, vel auditores ad se protrahant; & exhibendo mala latenti peste corrumpant.

Verum ne quis talem obligationem ignoret, singulis nostræ Diœcesis Parochis præcipimus, ut hoc Decretum quotannis una cum Edicto Sac. Inquisitionis populo sibi commisso bis, vel semel lingua vernacula exponant, eosque moneamus, ut perquirant, an aliquis intra limites suæ Parochiæ reperiatur, quod Deus avertat, qui à Fide Orthodoxa sit alienus: Num scilicet de aliquo fidei articulo dubitet, cum tamen quivis ex illis omnem dubitationis exclusionem mereatur, num Hæreticorum libros curiosè evolvat, num hæretico errori cum aliqua pertinacia assentiat, alijsque persuadere præsumat.

Curet insuper monstrare quam gravissimum Vitium sit Hæresis, cum ipsam destruat fidem, quæ est primum inter Dei Dona, & fundamentum cœterorum; & ut hoc facilè assequatur media ostendat, quibus quisque potest ab hac peste præservari, nempè superbiam veluti hæresis radicem evitando, cæremonias catholicas magnifaciendo, Sacramenta frequentando, & de Religiosis viris religiosè loquendo.

§. II.

§. II.

IN Homines vagos (vulgò Zingaros) oculati sint Parochi, nè superstitiones exerceant, vel doceant; fidem annuæ Confessionis, & Communionis ab ijs exquirant, quove in loco Matrimonium celebraverint sciant; & nolentes parere, Nobis illicò deferant. His ut ignotis, & ex Regione suspecta venientibus non liceat in nostra Diœcesi ultra tres dies sine expressa nostra licentia commorari; de qua etiam Parochi, & Vicarij foranei curent certiores fieri.

§. III.

JUdæis nulla commorandi facultas permittatur etiam ex causis gravibus nisi obtenta prius vel nostra, vel Sac. Inquisitionis licentia. Ijdem ad Caupones divertentes semel ad prandium, aut ad cœnam, & ad unius noctis hospitium cum eadem licentia admittantur. Quod si occasione Nundinarum iter arripuerint, tunc in nostra Diœcesi, vel Civitate commorari permittimus, ut eorum facillimè transvehantur merces. Toto vero illo tempore signum in Pileo ab eisdem deferri solitum nunquam deponant, sed propatulum semper gerant, ut à cæteris dignoscantur.

Seorsim à Christianis hospitentur apud publicos Caupones, & serventur Sac. Congregationis Decreta de non præbendo cibo ullo vetito illis diebus ab Ecclesia Dei, & de amovendis ab eorum cubiculo Sacris Imaginibus.

Omnes Christifideles Nobis subjecti Judæorum usum, familiaritatem, convictum, & famulatum omninò studeant evitare. Judæi vicissim caveant, nè Christianos ad dictos actus ullo modo alliciant, nevè pecuniam, aut rem aliam mutuent, acceptis pro pignore rebus ad usum Ecclesiarum pertinentibus. Caveant insuper nè diebus Christianorum festis publicè, quamvis transeunter, opera servilia exerceant, neque ullo umquam die ad Sanctimonialium Monasteria accedere audeant.

Si quis Judæorum cum Muliere Christiana carnaliter commi-

miſceri præſumpſerit, carcere, exilio, alijſque gravioribus pœnis à Jure ſtatutis mulctari volumus; Mulierem verò publicæ fuſtigationi, ac perpetuo exilio à Civitate, & Diœceſi damnamus. In reliquis ſervare jubemus Decreta Prædeceſſorum noſtrorum.

TITULUS TERTIUS.

De Verbi Dei Prædicatione.

§. I.

Ad Hebr. 4. 17.

VIvus eſt ſermo Dei, & efficax, quem Redemptor docuit Apoſtolos, eoſque in fines orbis terræ univerſum humanum genus docturos miſit. Noſtræ igitur paſtoralis ſollicitudinis eſt de hoc Apoſtolico munere Parochos in primis admonere, nè populos eorum Curæ commiſſos ſingulis diebus feſtis, Dominicis præcipuè, juxta Sac. Conc. Tridentini decreta ſine Evangelij pabulo relinquant.

Sciant ergo ad hominum illorum, quibus Evangelium explicant, captum ſeſe accommodare, non enim ſolum quid dicant, ſed & quibus loquantur vacat cogitare. Hinc quæ dicenda ſunt populo diligenter ſcribant, ſciantque multò ante præmeditanda eſſe, non enim inconſideratè eſt proferendum Verbum illud, quod non eſt ſecundùm hominem, dicente Apoſtolo: Non ego accepi ab homine illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.

Ad Galat. 1. 11.

Vitia modeſtè reprehendant, virtutes exaltent, ſic enim peccatores ad Cor redibunt; & ut infinitum quiſque Dei in ſe amorem agnoſcat, Aſſiduè Paſſionis Dominicæ Meditationem, Sacramentorum frequentationem, & noviſſimorum recordationem inſinuent. Ut hoc facilè conſequantur legant frequenter Sacram Scripturam, & Patrum Vitas, notentque quicquid ſibi videbitur ſuæ plebi accommodatum; cui etiam perſuadebit tutiſſimam ad Cœlum viam eſſe ſi ſuum unuſquiſque officium perfectè impleat; ſi geſta Sanctorum audiat imitaturus; ſi Evangelij dicta pronis auribus bibat obtem-

temperaturus. Parocho enim Plebem suam seù juberi, seù rogari fas erit, quoties ad hujusmodi Cristianæ pietatis facinora provocare studebit.

Diebus acceptabilibus Quadragesimæ, atque tempore salutari Adventus, Parochi, in quorum Ecclesijs Concio non habebitur, hortentur populos; ut ad proximiores Ecclesias sese conferant Verbum Dei audituros, nec tamen sine ullo Evangelij pabulo dimittant. Hi verò, ad quos Prædicatores mittuntur, hilari vultu eos recipiant, blando affectu tractent, apud plebem suam exaltent, sed non omittant eos admonere de his, quæ servare, & evitare debebunt. Insuper pro separandis viris à fœminis Prædicationis tempore adaptari tendas, seù sæpimenta lignea curent; nullique sive sæculari, sive Regulari quomodolibet exempto intra fines suæ Paræciæ Conciones ad populum habere permittant, nisi ostenderit facultatem à Nobis, vel à nostro Vicario Generali in scriptis obtentam.

§. I I.

NUllus Regularis sub quorumcumque privilegiorum prætextu tale munus exercere audeat, nec etiam in proprijs Ecclesijs, nisi prius suorum Superiorum fidem de vita, doctrina, & moribus exhibuerit, & Benedictionem à Nobis obtinuerit.

Concionatores omnes caveant nè, Verbum Dei adulterantes, aut jocis tamquam Histriones, aut conversi ad fabulas uti Poetæ Auditores sibi prurientibus auribus coacervent, aut inanis facundiæ lenocinio, ac meretricio Stylo prædicationem fœdè corrumpant. Sciant non levem esse culpam per scurrilitatem Verbum Dei velut in Scenam adducere. Abstineant ergo à quæstionibus curiosis, & singularibus; atque à varijs paradoxis nè parvuli, nempè indocti auditores, petant panem, & non sit qui frangat eis, Memoriæ ostentationem, & pronunciationis præcipitantiam abhorreant, tamquam à primævo Apostolorum instituto prorsus aberrantem.

Litt. Apostol. Innoc. XI. de Concionat.

Inquirant à Parocho, alijsque pietatis, & morum gravitate singularibus Viris spiritualem populi necessitatem, ut animarum vulneribus opportunam possint præstare medicinam. In

Præ-

Prædicationis progressu monita servent vel à Nobis, vel à Parochis pro illorum instructione data. Vitia, & defectus reprehendant, sed tali circumspectione, ut nequeant Auditores ex circumstantijs arbitrari, quod de certa, & particulari persona loquantur. Nullum de populo contra Parochum vel dicentem, vel insurgentem admittant, nè cum animarum detrimento vel audiendo, vel assentiendo contemptibilem reddant, sed ad Nos omnia sincerè deferant, cursu Quadragesimali, aut Adventus peracto, quotiescumque cognoverint nostra indigere sollicitudine.

Laicorum contubernium, Mulierum familiaritatem, lautasque mensas effugiant. Sacram Scripturam juxtà Sanctæ Matris Ecclesiæ consensum, & unanimem SS. Patrum sensum interpretentur. Falsis, fictisque Miraculis, alijsque inanibus rebus audientium mentes non occupent, nec quæ prædicant ex aliqua revelatione habuisse asserant. Absque Nostra licentia Indulgentias non enuntient, vel aliquem Auditoribus paupertatis nomine, vel prætextu commendent. De noctu numquam prædicent, neque etiam in ijs locis, ubi consuetudo ad hæc usque tempora viguerit, quod Concio de Passione Dominica nocturno tempore habeatur.

Quoties ad Monialium Ecclesias concionandi causa à Nobis mittantur, sciant eos, excluso populo, & jannis clausis sermocinari debere. Eam in dicendo gravitatem, modestiam, & circumspectionem adhibeant, quæ talium Virginum captui convenire videatur. E Sacra Scriptura eventus vel numquam, vel magna cum cautione depromant; præcipuè de Muliere Ægyptiaca Josephum alliciente; de senibus Susannam in Pomario tentantibus, deque Davide Bersabeam in Balneo intuente; & hujusmodi. Meminerint insuper abstinere à descriptionibus, quæ Mulierum sæcularium luxum redoleant, sed plano, & ascetico Sermone semper loquantur, nè Virgines prudentes in fatuas degenerent.

§. III.

Quoties item ad populos Concionem habent, de rebus fidei magis necessarijs sæpiùs Verba faciant, easque expli-

explicent quantum satis est. Ea, quæ urgent mala, vehementiùs, sed prudenter reprehendant, pravasque consuetudines, inimicitias, ac detractiones evellere curent. Christianas virtutes, Evangelica Consilia, Præcepta Ecclesiæ declarent, & insinuent, atque à Decimis solvendis Parochos fraudari iniquum esse demonstrent.

Semel saltem in Quadragesima, cum frequentior aderit Populus explicent quanti ponderis sint Censuræ Ecclesiasticæ, exemplis, & rationibus ad eas metuendas adductis. Reprehendant morosos in Legatorum Piorum adimpletione; prophanos amatores præsertim in Ecclesiis, & parentes, qui negligunt filios ad Doctrinam Christianam mittere.

Ad incitandam, fovendamque Fidelium erga Sanctissimum, Augustissimumque Corporis, & Sanguinis Jesu Christi Sacramentum pietatem, atque devotionem intenti sint. Quod ut facillimè assequantur moneant eos, qui frequenter Corpus Christi ore attingunt, quamnam de ipso Corpore possint sumere medicinam, quando Mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. Dum hæc loquuntur etiam verba faciant de Indulgentiis pro illis, qui dictum Eucharistiæ Sacramentum cùm ad infirmos pro Viatico defertur devotè fuerint comitati.

S. Petr. Chrysol. serm. 34.

§. IV.

Electio Concionatoris, quæ secundum locorum consuetudinem à Communitatibus fieri solet, nisi per totam diem sextam Januarii Nobis presentata sit, irrita pro anno illo censeatur, novamque electionem ad Nos spectare declaramus.

Qui obligati fuerint quavis ratione, vel titulo ad præstantiam alimentorum pro Concionatoribus, libenter, & hilari animo necessaria subministrent, domum parent, incommoda subtrahant, nec ullo prætextu, vel subterfugiis denegent, quæ naturali quodam jure præstare debent.

Quadragesimali durante Jejunio, dum Concio ad populum habetur Apothecæ occludantur, & si fieri commodè po-

test, celebrationes Missarum in aliis Ecclesiis toto illius temporis spatio suspendantur diebus festivis exceptis.

Parochi occasione prædicationis non conquerantur de damno aliquo suæ Ecclesiæ prædiis illato, de Decimis non integrè solutis, deque hujusmodi rebus ad propriam utilitatem spectantibus; nè videantur potiùs sua, quam quæ Christi sunt quærere.

Tandem omnes utriusque Sexus fideles præfatis temporibus cæteris dimissis sæculi negotiis per illud horæ spatium, quo Concio protrahitur, ad eam audiendam se conferant in Domino hortamur, ut sciant se ex Deo esse, cum Dei Verba audiant. Veniant Mulieres ad Concionem cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non intortis Crinibus, aut Margaritis, vel Veste pretiosa.

1. ad Timot. 2.

TITULUS QUARTUS

De Blasphemiis, & Superstitionibus.

§. I.

Iul. III. Bul. 23.

SAcratissimum Dei, & Jesu Christi Nomen, quod super omne Nomen Cœlestia venerantur, Terrestria adorant, Inferna contremiscunt, aliquando pravorum, efferatorumque Hominum vocibus scinditur, unàque cum ejus Sanctissimæ Genitricis, & venerabilium Sanctorum Nominibus blasphematur. Horum unusquisque dignus est videre falcem devorantem igneam in domo sua, quam vidit Propheta, donec ex ea illum excidat.

Ut ergo obstruamus istorum ora, & tamquam venenatos fontes occludamus, atque Diœcesim nobis commissam omnibus inquinamentis mundatam Domino Deo per omnia placentem exhibeamus, Summorum Pontificum sanctionibus inhæremus, & Prædecessorum Nostrorum Constitutiones confirmamus, easque præcipuè, quæ editæ sunt de pœnis tam contra blasphemos in Deum, & Dominum Nostrum Jesum Christum, gloriosissimam Virginem, & reliquos Sanctos,

quam

quam contrà convertentes, & retorquentes verba, & sententias Sacræ Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, & vana, ad detractiones, superstitiones, sortes, libellos famosos, & hujusmodi.

Quilibet igitur Parochorum ter, vel quater in anno summarium Bullæ B. Pii V. contra blasphemos populo sibi commisso publicet, vehementerque in hoc scelus invehat, explicando, quam graviter illo Deus offendatur cum hoc vitium nihil commodi afferat homini, sicut alia vitia, ad quæ plerumque voluptatis, aut honoris cupiditate homines trahuntur; quam proxima sit blasphemia peccato infidelitatis, ut propterea divina olim lege lapidibus blasphemum obrueret omnis multitudo populi; narretque exempla, quæ passim leguntur districti Judicii Dei, quibus impii à tam detestando scelere absterreantur.

Orig. in cap. 26. Levit.

Levit. 24. 16

Quicumque Confessarii in foro Pœnitentiæ acriter in hoc Vitium animadvertant, deterrendo præsertim recidivos, & pro viribus insistendo, quò penitùs à fidelibus eradicetur. Seriò admoneant Pœnitentes de obligatione denunciandi, & denunciare detrectantes absolvi non posse. Ipsos verò Blasphemos non aliter absolvant, nisi imposita priùs gravissima pœnitentia; rudiores autem personas diligenter interrogent, in quo blasphemaverint, an scilicet adimendi Deo, quod ei debetur, an verò tribuendo creaturæ, quod solius Dei proprium est; nè per erroneam conscientiam lethaliter peccent, ubi non est culpa lethalis. Nos etiam ut hujus execrabilis sceleris perniciosissimam originem auferamus, illudque radicitùs summo Dei auxilio extirpemus, publicos alearum, & quoscumque fortunæ ludos interdicimus sub pœnis arbitrio nostro declarandis.

§. II.

QUoniam verò proxima est hæresi superstitio, quæ in leviorum hominum corda irrepit, venerationem Deo debitam ad se transferens: Nos ergo deceptos animos à laqueis hujus perniciosissimi erroris liberare cupientes, obligationem Parochis imponimus diligenter inquirendi, acriter in-

S. Greg. Nazianz. orat. 40. in Sac. Bapt.

crepandi, ſimulque denunciandi quatenùs noſtræ Dictioni ſubjectorum aliquis (quod Deus avertat) illaqueatus reperiatur.

Qui igitur auſi fuerint ligamen, nodum, annulum, imaginem, ſignum, amuletum, caracteres, vel componere, vel portare: qui ſuperſtitioſa verba protulerit, malefica pocula compoſuerit, vel biberit, ſeù alia hujuſmodi fecerit, aut illis uſus ſit ad malos humores refrænandos, ad conjugum animos avertendos, ad aliquid damni alteri inferendum, ad liberandum ſive hominem, ſive animal à morbis, ad inveniendos theſauros, reſque furtim ſublatas, ſeu cujuſcumque alterius rei cauſa, maximè cum ſacrarum rerum, vel Sacræ Scripturæ verborum abuſu, omneſque in præfatis cooperantes, aut quovis modo conſentientes, excommunicationi ipſo facto ſubjaceant Nobis reſervatæ.

Ulteriùs præcipimus Parochis, ut diligenter vagarum Perſonarum actiones notent, nè fallacibus ſuperſtitionibus populum decipiant, & ſi eos corrigere ipſi nequiverint, Nobis ſignificent. Moneant ergo Parochi plebem ſuam, nè ſigna, imagines, numiſmata cum nodo Salomonis, ſeu cum Pentagono litteris Hebraicis circumſignato, ſchedulas variis precibus ſignatas, Amuleta, ſeù ut vocant, Brevia characteribus, aut nominibus incognitis impreſſa deferat. Caveant, nè quis uſum habeat medicinæ, in qua adhibentur ſigna cum nominibus incognitis, ſive precibus, verbiſque quamvis ſacris, adjunctis etiam Crucis ſignis.

Confeſſarii quoque in hoc ſummo ſtudio pervigilent, curentque Pœnitentem, qui bona fide dicta ſigna, Characteres, & Amuleta clam defert ſub veſtibus ea deponere, lacerare, comburi, ac tamquam malum impoſterum deteſtari; ſic enim omni cuſtodia circumdabit cor ipſius, qui Deum verum, & optabit propitium, & formidabit iratum.

S. Auguſt. de Civit. Dei lib. 2. cap. 4.

TITU-

TITULUS QUINTUS

De Doctrina Christiana.

§. I.

INter pietatis opera, quæ ad Dei gloriam, & animarum salutem in Catholica Ecclesia laudabiliter exercentur, Puerorum in Christiana Doctrina eruditio valdè necessaria est. Quod quidem opus Christus in carne præsens exercuit, parvulos ad se vocando. Mala enim animi securè prohibentur enasci, quoties antequam Dœmon audeat pessimos mores teneris puerorum mentibus, unde virtutes sylvescant, maligna astutia inserere, pueros ipsos docemus, quid credendum, & faciendum ad præmium, quid pertimescendum, & evitandum ad Judicium.

S. August. de Civit. Dei lib. 2. c. 18.

Parochi igitur tàm sæculares, quàm regulares Dominicis diebus, operam dabunt, ut pueri rudimenta fidei, & Dei præcepta, vel in propriis, vel in vicinioribus Ecclesiis edoceantur; ita enim à sacrosancta Tridentina Synodo strictè præcipitur. Et ut in hac tam salubri eruditione operam, studiumque in animarum proventum adhibeant, idcircò dictis diebus à prandio sonitu Campanæ convocent pueros, mittantque tres, vel quatuor viros unà cum duobus pueris, quorum alter Crucem, alter Campanulam gerat, qui per vicos, & plateas parvulos vagantes reducant, & compellant, quod enim malum geritur omnes convocat spectatores, quod bonum dicitur vix aliquos invenit auditores.

S. Aug. cit. cap. 26.

Intersint ipsimet, nec quemlibet in hoc munere substituant, nisi legitimo impedimento detenti; & si aliter fecerint teneantur stricta ratione, quam reddituri sunt Deo de Animabus sibi commissis. Moneant Patres familias, dominos cujuscumque sint dignitatis, vel nobilitatis, ut non patiantur, filios, vel famulos ea ignorare, quæ ad salutem sunt necessaria. Hinc decreto, quod emanare fecimus parendo, mordicùs curent, ut Parentes, & Heri suos mittant filios,

lios, & famulos ad ſcholas Doctrinæ Chriſtianæ, atque ibi Pueros, & Puellas doceant omnia ea, quæ in Inſtructione Doctrinæ prælo commiſſa redegimus, quam ideò multis, neceſſariiſque interrogationibus implevimus, ut facillimam habeant docendi methodum. Si verò patres, vel matres negligentes repererint in hac ſpirituali filiorum educatione, poſt trinam monitionem, niſi cauſa legitima excuſaverit, nobis denuncientur à Parochis pro arbitrio puniendi, vel comminentur ipſis denegandam fore Communionem in Paſchate, ità enim ſancitum fuit ab Eminentiſs. Sfortia Prædeceſſore noſtro, ità etiam Nos noſtro Edicto confirmavimus. Præcipiant noſtra fulti Auctoritate Ludimagiſtris tàm publicis, quàm privatis, ut pueris ſuæ cuſtodiæ commiſſis ad Parochialem Eccleſiam ducatum præſtent eadem hora, qua cæteri conveniunt. Puellas ſeorſim quantum poſſibile eſt à puerulis inſtruant, atque ad hoc munus exercendum ſeligant etiam aliquos viros, totidemque Mulieres ætate, ac pietate graviores, hiſque docentibus ab Eccleſia numquam diſcedant. Puellis, quæ diligentes fuerint in frequentatione Chriſtianæ Doctrinæ, præcipuè adultis dicatur, ipſas præferendas cæteris fore in dotium concurſu, quoties Parochus fidem fecerit, eas modeſtè, ac ſedulò frequentaſſe tale exercitium, & cum frequentatione perfectum feciſſe.

§. II.

NOs verò, ut hæc ſalutaris eruditio pleniùs adimpleatur tùm ex parte docentium, tùm ex parte diſcentium, volumus, ut omnes Clerici Civitatis, & Diœceſis ſingulis diebus Dominicis ad Eccleſiam Parochialem, vel ad viciniorem, prout mos erit, & neceſſitas urgebit conveniant, ibique operam ſuam præſtent. Quod ſi non fecerint, non audeant Parochi teſtimonium pro ordinatione ipſis facere, niſi juſtis de cauſis abfuerint. Qui verò ad Præsbyteratus ordinem evectus jam fuerit, non admittatur ad Sacramentales Confeſſiones audiendas, niſi priùs per aliquid temporis ſeſe Parochorum coadjutorem in hoc munere exhibuerit.

Ulteriùs mandamus Parochis, ut Catalogum quoque conficiant

ficiant nominum eorum, qui præsertim in agris, ut plurimùm vitam traducunt, & si Spiritus Sanctus est forsan non audierunt. Hos semel saltem in mense, præcipuè tempore æstivo, privatim ad se convocent, atque ita ipsorum pudori consulentes Christianæ Doctrinæ, ac Sacramenti Pœnitentiæ panem patienter frangant, ommisso rigore exigendi ab iis conceptam verborum formulam circa Sacram Catechesim; satis enim erit eos Catholicæ fidei mysteriorum necessaria, licet obscurè, quoad substantiam non ignorare, quibuscumque Verbis illa exprimant.

Hinc ad Patrini officium in Baptismatis, vel confirmationis Sacramento non recipiant, nec sodalitatibus in Ecclesia Parochiali erectis adscribant; immò nec ad Matrimonium admittant, qui fidei mysteriorum essentialia ignorare reperti fuerint. Sed antequam ad denunciationes à Sac. Concilio Tridentino requisitas deveniant, quotidie, seu omnibus diebus festivis super necessariis ad salutem sponsos, & sponsas examinent diligenter, præsertim eos, qui agros inhabitant, ut sic rubore impulsi, quæ callere debeant ediscere cogantur.

§. III.

IN Villis, & Pagis, in quibus domus Rusticorum à Parochiali Ecclesia valdè distant, ipsique in armentorum, agri, & domus custodia occupati ad proprias Ecclesias convenire non possunt, curent Parochi pro conscientiæ securitate idoneum aliquem Virum, seù Mulierem, si fieri potest, in illis locis distantibus deputare, qui prædictos Pueros, & Puellas Christianam Doctrinam doceant. Nec aliquando quoque eos pigeat, ad proprium munus securè adimplendum, discurrere per ipsas distantes Domos; ibique in Gregis custodiam detentos, & qui rarò ad sacrum se conferre possunt, in fidei rudimentis instituere.

Monemus tamdem Confessarios omnes tùm sæculares, tùm regulares, qui de ignorantia suorum Pœnitentium probabiliter suspicantur, ut sigillatim eos interrogent: An orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum fidei, Præcepta Dei, & Ecclesiæ sufficienter teneant, quæ si igno-

ignoraverint, paternè illos admoneant de obligatione, quam quisque fidelium habet ad ea ediscenda, quæ necessaria sunt ad salutem; & si opus fuerit loco pœnitentiæ imponant, ut ea discant quam citiùs potuerint: Immò si negligenter, & culpabiliter ediscere non curaverint, Sacramentalis absolutio suspendatur donec didicerint.

TITULUS SEXTUS

De Sanctorum Reliquiis, & Imaginibus.

§. I.

Martyrum, aliorumque Sanctorum Reliquias summa devotione venerandas esse, tamquam Divinæ Misericordiæ pignora tùm ad pietatis incitamenta, tùm ad eorum intercessionis apud Deum securitatem, ipsius Christianæ Religionis primordia, Patrum usus, & Conciliorum decreta satis firmarunt. Honoramus sanè, ex D. Augustino, Reliquias Sanctorum Hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera Religio, falsis religionibus, fictisque convictis. Igitur nostri Pastoralis officii est non minus tantorum pignorum conservationem sollicitè curare, quam cultum augere, ut illorum protestatione defendi, & adjuvari precibus mereamur.

S. Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 27.

Quo circa Constitutionem facimus de Reliquiis non exponendis, etiam in loco exempto, nisi solita approbatione habita, nè falsò veneremur ossa illius, quem verè Protectorem optamus. Argenteis, vel saltem inauratis vasculis includantur cum inscriptione Nominum, si fuerint cognitæ, sin minus, cum hac epigraphe: Reliquiæ Sanctorum, quorum nomina ignorantur.

Decens locus in latere nobiliori Ecclesiæ excavetur, in quo dicti Vasculi sub clave asserventur tabulis ligneis intùs septi, panno serico coloris congruentis circumvestiti, foris

verò

verò picturis exornatus Armariolus cum inscriptione vt supra.

A Vasculis non extrahantur reliquiæ quoties publicæ venerationi sunt exponendæ, sed pellucido cristallo, aut vitro interposito, ità ut ore osculantium tangi nequeant, easque præbeat deosculandas, vel Parochus Pluviali, seù superpelliceo, & stola indutus, vel alius Sacerdos de ipsius permissione.

Numquam exponantur nisi cereis facibus circumardentibus, numquam item fiat sacrarum Reliquiarum expositio lucri cupiditate; permittimus tamen posse fideles eleemosynas spontè facere, ubi mos immemorabilis est, & concursus frequens, dummodò dictæ eleemosynæ ad majorem earum ornatum, non autem ad Parochum, vel alium sacerdotem applicentur.

Cautè custodiantur; Contra surripientes, vel alienantes etiam earum partem, procedatur pœna excommunicationis latæ sententiæ; à Laicis non contrectentur quocumque devotionis prætextu; ad infirmos sine nostra licentia non deferantur, & occasione solemnitatis, vel processionis earum ad minus quatuor lumina, seù intortitia ante eas ardeant, seù deferantur.

§. II.

IN quibus Ecclesiis asservantur insignes Reliquiæ (insignes vero sunt Caput, Brachium, Crus, aut illa pars, in qua passus est Martyr) congruum est, diem festum celebrari illius Sancti, cujus sunt Reliquiæ, dummodò in Martyrologio Romano sit descriptus; aliàs servetur Decretum Sac. Congregationis ab Vrbano VIII. approbatum.

Quicquid miraculosi per Sanctorum Reliquias evenerit, notent diligenter Parochi, aliique Ecclesiarum Rectores, sed à publicatione abstineant, donec ad Nos relatum sit, quod idoneis testibus comprobatum, in publica documenta, & ad majorem Dei gloriam, & Sanctorum inferendum curabimus.

Scripturas Reliquiarum identitatem, veritatemque comprobantes servari mandamus in Ecclesiæ Archivio; approbamusque consuetudinem Nostræ Cathedralis Ecclesiæ super re-

tentione duarum clavium pro Reliquiarum cuſtodia, quarum una apud primam Dignitatem Capituli, altera apud electum manet.

Nolumus Sacrarum Reliquiarum expoſitionem fieri, niſi in Feſtivitatibus ſolemnioribus, vel in eorumdem Sanctorum contingentibus diebus, & quoties recluduntur recitabitur Antiphona, Verſus, & Oratio congruens.

Ubi Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, occaſione quadraginta horarum, vel ſolemnitatis Corporis Chriſti, alia de cauſa expoſitum fuerit, tunc pretioſis Dominicæ Crucis, vel ſpineæ Coronæ fragmentis exceptis, ſacræ aliæ quæcumque Reliquiæ non exponantur.

§. III.

STrictè inſuper injungimus Parochis, ut captata ſæpius occaſione, præcipuè ex Reliquiarum expoſitione, populum edoceant qua reverentia ſanctorum memoriæ ſint recolendæ, illorumque auxilium à Deo expoſcendum, ut quorum ſacros Cineres venerabundus agnoſcit, & deprecabundus veneratur, virtutes etiam imitari non pigeat.

Enixè in Domino hortamur, ut ubi habentur Corpora, ſeù Sanctorum Reliquiæ inſignes, lampas vel ſemper, vel ſaltem diebus Dominicis, feſtiviſque ardeat, ut ſciant fideles qua parte ſit intuendum ad auxilium Sanctorum invocandum.

Denique Reliquiarum probatarum Catalogum in Archivio noſtro reponendum ſinguli Parochi, cæterique Eccleſiarum Rectores ad Nos, vel deferant, vel tranſmittant intra ſpatium duorum menſium ab hujus noſtræ Synodi publicatione.

§. IV.

SAcrarum Imaginum uſum non ab ipſo ſolùm primordio ſui probavit, ſuſcepitque Eccleſia, ſed etiam Concilium, quod ſecundò apud Nicæam hac de cauſa fuit habitum; ita illarum contemptores repreſſit, ut iis damnatis, atque anathema-

themate percuſſis, retinendum, atque habendum eſſe graviſſimis Decretis ſancivit. Ex Sanctorum enim Imaginibus uniuſcujuſque animus ad perpendendam Prototyporum Majeſtatem, & gloriam non ſolum excitatur, verum quoque particulari modo ad illorum ſanctitatem, & pietatem imitandam monetur.

Ut autem debitus honos eis impendatur, atque quicumque abuſus, qui irrepere potuiſſent, tollantur, ſtatuimus, nè ſacræ Imagines exponantur, niſi prius à deputatis viris examinatæ, & approbatæ fuerint. Imagines enim, aut ſimulacra, quæ pietatem, ſeù Religionem non inſpirant, quæque vultu, ſeù veſtibus procacitatem, & licentiam præſeferunt nullo modo permittere intendimus.

Imagines eorum, qui nondum à Sede Apoſtolica in Sanctorum, vel Beatorum albo adſcripti ſunt, cum laureolis, aut radiis non pingantur. Ad eorum ſepulchra Cerei, ſeù lampades non accendantur, nec votivæ tabellæ appendantur, & populi concurſus, ſi exinde ſpecimen publici cultus reſultaret, non permittatur.

Cruces, & Imagines Sanctorum, aliaque ſacra ſigna, quæ in locis immundis extant, illicò deleri mandamus, atque imposterum in hujuſmodi locis pingi vetamus ſub pœnis ad arbitrium etiam contra ipſos Pictores, licet nutu aliorum id fecerint. Quoties verò in parietibus publicis extra Eccleſias ſacra aliqua Imago pingenda ſit, ab imo ſoli ſaltem octo, vel novem palmorum habeat altitudinem, locuſque venerationem tranſeuntium non dedeceat.

§. V.

QUoties Imagines in parietibus pictæ ita ſint vetuſtate corroſæ, ut deformitatem oſtendant, dealbetur paries; ex ligno verò confectæ comburantur repoſitis in Sacrario Cineribus; ſin autem lapideæ, ab Eccleſiæ, vel cæmeterii pavimento removeantur, & remotæ vel occultentur, vel decentiori in loco ponantur.

Argenteæ, ſeù cereæ figuræ, cæteraque voti gratia Deo, Beatæ Virgini, vel Sanctis oblata à fidelibus propè ſacras ip-

ſorum Imagines configantur, nec ſine licentia alienentur. In votivis tabellis pingendis caveant Pictores, nè indecentes actus repreſentent, ſed modeſtiæ ſerviant, & honeſtati.

Pingantur, vel celentur ſacræ Imagines juxta veritatem ſcripturarum, & traditionum, & de hiſtoriis, quibus neque Eccleſia, neque probati ſcriptores auctoritatem dederunt, non extrahantur. Parochi numquam ita permittant ſuis in Eccleſiis imagines viventium perſonarum pingi ad ſanctorum figuras exprimendas, neque imaguncula ſive puerorum, ſive puellarum vanitatem præſeferentes.

Profanæ Imagines non adhibeantur in apparatu Eccleſiarum, quod etiam ſervari volumus in ſolemni proceſſione Corporis Chriſti, monentes in Civitate cæremoniarum Magiſtros noſtræ Cathedralis, in Diœceſi verò ipſos Parochos, vel aliquos prudentes viros, ſeù Clericos, qui antequam fiat Proceſſio vias adeant, & ubi indecentia viderint expoſita, auferenda curent, & parere recuſantes ad Nos, vel ad Vicarium noſtrum deferant, ut ea, quæ decet, animadverſione puniantur.

Repreſentationes Myſteriorum vitæ, vel Paſſionis Chriſti Domini ſive in Proceſſionibus, ſive in Hebdomada majori, abſque noſtra licentia nequaquam fiant, ne quæ maximè ad Religionem pertinent, deriſui, atque offenſioni deſervire contingat; eaque omnia ſub arbitrariis pœnis ſerventur.

Demum in tabulis pingendis, quas in ſuis quiſque ædibus Religionis cauſa tenet, enixè hortamur, nè quid indecorè, quid turpiter, vel quid ſuperſtitiosè effingatur, ſed omnia decenter, honeſtè, & religiosè exprimantur, ad hoc ut dum coram ipſis manè de cubili ſurgentes, & veſpere antequàm lectum conſcendant, preces effundunt, examen conſcientiæ faciunt, poſſint modeſtiæ, & virtutis motiva habere, & nihil perpetrare, quod Deo, & Sanctis diſpliceat.

TITU-

TITULUS SEPTIMUS.

De Jejunii obſervantia, & dierum feſtorum cultu.

§. I.

NEmo poteſt virtutum perfectionem attingere, niſi prius ventris edomuerit ingluviem; ſemper enim ſaturitati juncta eſt laſcivia. Adverſarius Diabolus primum Parentem callida eſcæ objectione malitiosè vita ſpoliavit, & Chriſtum Dominum eodem modo ſupplantare ſperabat. Verum Salvator noſter Jejunii obſervantia tentatorem rejecit, ut inde mortales ediſcerent, per Jejunium nequiſſimi Hoſtis inſidias refellere, atque mundi, carniſvè illecebras virili conſtantia compeſcere.

S. Iſid. lib. 1. c. 42. S Hieron. in Iſa. S. Baſil. de abdic. terr.

Parochi igitur ſingulis diebus Dominicis enunciabunt populo quamcumque proximæ ſequentis hebdomadæ diem, quæ jejunii præcepto addicta ſit, & aliquando etiam docebunt, qui cibi vetiti ſint jejuniorum tempore, qua hora ſit facienda comeſtio, quæ ætas, quive labores à jejunandi præcepto excuſent.

De quadrageſimali Jejunio duobus, vel tribus diebus Dominicis antecedentibus loquantur Parochi, monſtrentque cauſam hujus inſtitutionis fuiſſe, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas ex pia opera redimerent, & jejunia caſta decoquerent.

Hinc Medici non adeò facilè litteras teſtimoniales concedant de impedimentis à carnis abſtinentia, & Jejunii obſervantia eximentibus, præcipuè nobilioribus perſonis, quæ ut plurimùm quadrageſimalem abſtinentiam horrent, ciborum luxu potiùs illecti, quo ferè totius anni tempore utuntur, quàm ullius morbi impedimento detenti.

Tabernarii, caupones, & alii quicumque hoſpitium exercen-

centes non audeant advenis, cæteriſque perſonis carnes, alioſve cibos vetitos parare, vel eorum eſum in ſuis Tabernis, Hoſpitiis, Domibus, tempore quadrageſimali, & vigiliis totius anni permittere, niſi prius ipſis oſtenſa fuerit licentia à Nobis, vel à Noſtro Vicario Generali gratis obtinenda.

§. II.

CUm igitur Jejunia diem feſtum ſæpius præcedant, ut mortificatis corporis ſenſibus meliori quiete, & tranquillitate Deo inſerviamus, propterea diebus feſtivis opera ſervilia prohibemus, ex quibus lucrum redundat, animuſve à concionibus audiendis, aliiſque piis operibus implendis diſtrahitur. Volumus inſuper Judicia omnia ſilere, nundinas, & mercatus tolli, circulatores, & mimos præſtigias ſuas non exercere, nec quicquam vendi, aut emi in publicis Apothecis, exceptis comeſtibilibus, atque iis, quæ pro infirmis parari debent.

Singuli animarum Rectores plebem ſibi commiſſam ſæpius doceant, quo cultu dies feſti ſervandi ſint, à quibus rebus ſit abſtinendum, in quibus ſe unuſquiſque exercere debeat; & quàm magnum abſurdum videatur in ſolemniis Dei, & ſanctorum choreis, ludis, comeſſationibus, ebrietatibus, & ſpectaculis indulgere. Curent etiam admonere mulieres illas, præcipuè in Confeſſionibus, quæ nimio ornatu ad Eccleſias procedunt, nec verentur capite detecto, & floribus, pulveribus, luxuque pleno ad ſacram ſynaxim accedere. Dum item inter Miſſarum ſolemnia verba faciunt ad populum, die feſto, quod ante Nativitatem Domini celebratur, moneant, nè ullus in nocte pervigilii ejuſdem eſui, & jocis ſeſe donet inter affines, vel amicos eo quæſito, ſed damnabili colore, exinde ad Eccleſiam eundi cauſa Miſſam audituri. Hortentur mulieres eadem nocte domi potiùs manere, quàm Templa ſubire, & per Civitatem incurſare, ſic enim majorem dabunt Deo honorem, Virginique ſolatium.

Permittimus tamen tempore meſſis, vindemiarum, aliorumvè fructuum, de quibus damnum immineat, unumquemque ſuæ neceſſitati conſulere, obtenta prius licentia à

Vica-

Vicario, vel Generali, vel Foraneo, & missæ audiendæ præcepto adimpleto. In quacumque Ecclesia nostræ Diœcesis sive sit Parochorum, sive Religiosorum festa, quæ ibi celebrantur etiamsi solemniter cum cantu, & organis finem habeant statim ac signum Salutationis Angelicæ de serò datum fuerit, hocque indispensabiliter observetur ubicumque mulierum erit frequentia.

TITULUS OCTAVUS.

De Sacra Scriptura, atque usu Librorum.

§. I.

AD sacras propalandas Scripturas os Pater est, lingua Filius, calamus Spiritus Sanctus. Nihil ergo animarum saluti considerabilius, quàm eas scrutari. Hæc enim Dei eloquia fonti largis, perennibusque scaturienti fluentis similia sunt, ut eò magis scaturiant, quo quis magis inde haurire studet. Cognitio earum cultoribus suis sensus acumen ministrat, intellectum multiplicat, otium amovet, vitam componit, mores corrigit, spirituales divitias auget, & desiderium Christi, patriæque cœlestis accendit. Jure itaque divinæ scripturæ litteræ eæ sunt, quæ de civitate cœlesti nobis venerunt.

Curent propterea sacerdotes omnes, præcipuèque Parochi ad studium scripturarum incumbere ea, qua possunt, assiduitate, & diligentia, ibi enim sentient quantum spiritualiter proficient, Dei enim voluntatem in iis intelligentes, eam opere exequentur. Si secùs fecerint dolebimus, ac molestè feremus exemplo D. Chrysostomi, qui de Apostoli Epistolarum lectione differens; dolebat, quod virum hunc non omnes, sicuti par est, cognoscunt, verùm ità illum nonnulli ignorant, ut nè Epistolarum quidem ejus numerum planè sciant.

Mysti-

Mysticos item libros, & spirituales tractatus evolvant, in quibus non solam rerum spiritualium notitiam, sed multò magis earum gustum, & affectum sentient, qui in hujusmodi rebus delitescit, & à spirituali palato percipitur. Ut hoc facilè acquirant, huic lectioni quotidiè certum tempus impendant, cumque aliqua tentatio insurgit, diutius in spirituali lectione immorentur, sicuti quoque festis diebus, cum Deus pro more suo per Climacum observato plus gratia illis diebus quos sibi, cultuique suo dedicavit affecturus, & laborem hunc spiritualem benedicturus videatur.

§. II.

SI Philosophorum, vel Rethorum, seù Poetarum legerint libros, caveant, nè in cor suum introducant ea, quæ ab illis asseruntur, nevè decipiantur fulgore operis, vel sermonis aurei pulchritudine. Si quis verò aliquem lasciviæ librum habeat, quod Deus avertat, exeat citò de hujusmodi fœditate, illum ad comburendum igni tradat, & ad mensam Sacræ Scripturæ contra omnes spirituales nequitias sibi paratam sedeat, atque pro comperto habeat, hoc maximè diabolum studere, ut doctrinæ fluenta, & virtutum arma auferat, & sic sævitiam suam in interitum sermonum Dei velociter expleat.

In vetitam damnatorum librorum lectionem, & retentionem numquam nitantur. Libros, & quæcumque opera, quæ propter suspicionem hæresis, vel falsi dogmatis damnata fuere abhorreant, aliàs sciant, si legerint, aut retinuerint, excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrere. Sciant insuper si quis legere, aut retinere præsumpserit libros quacumque de causa vetitos, ultrà culpam, qua se obstringet, arbitrio nostro punietur. Denique memorent omnes observare regulas indicis, & à scriptis de Astrologia Judiciaria abstinere.

TITU-

TITULUS NONUS

De Indulgentiis.

§. I.

NE inanis, aut ſuperflua infinitæ effuſionis Sanguinis Chriſti miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit, volens ſuis theſaurizare filiis pius Pater. Quem quidem theſaurum per B. Petrum Cœli clavigerum, ejuſque ſucceſſores in terris Vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum. Ad hujus theſauri cumulum Beatiſſimæ Dei Genitricis, & omnium electorum merita adminiculum præſtare noſcuntur, quæ licet in ipſa Virgine, & Sanctis in æterna gloria remunerentur, adhùc etiam in Viatores homines extenduntur juxtà Dei ſapientiam, ac providentiam.

Ut autem populi in re tam magni momenti non allucinentur, nemini ſive ſæculari, ſive regulari ſub quovis privilegii prætextu liceat promulgare Indulgentias, vel ad valvas Eccleſiæ, ſeù ad alium locum illarum ſignum apponere, niſi priùs à Nobis, vel à duobus Canonicis per Nos deputatis, viſæ, & recognitæ fuerint. Poſt recognitionem deſcribantur à noſtro Cancellario in Codice ad id deputato, & tàm à Parochis, quàm à Confraternitatum Gubernatoribus in Tabella exarentur affigenda ſacellis, vel ante Altare, ſervato earum exemplari in Archivio Eccleſiæ Parochialis, ſeù confratriæ.

§. II.

OMnes Chriſtifideles facillimè tàm ſalutarem Indulgentiarum fructum lucrifacere poterunt, quoties docebunt Parochi inter Miſſarum ſolemnia, atque etiam Concionatores tempore Adventus, ſeù Quadrageſimæ, quæ adimpleri debent. Confeſſarii quoque Pœnitentes rudes, qui in Societa-

tum albo adſcripti ſunt, præſertim infirmos, curent admonere, quid pro Indulgentiis percipiendis fieri oporteat, nè uberrima ex ipſis emanantia emolumenta ammittantur.

Moneant præcipuè oportere illos, qui ſuſcepturi ſunt Indulgentiam ea omnia præſtare, quæ in conceſſione ejuſdem Indulgentiæ præſcripta ſunt; ipſiſque aperiant Indulgentiam illi non valere, qui eſt in peccato mortali ad remiſſionem pœnæ temporalis debitæ ratione illius peccati, in quo perſeverat; pœna enim remitti non poteſt, niſi priùs remittatur culpa.

DIOE-

DIŒCESANÆ SYNODI

ECCLESIÆ ARIMINENSIS

PARS SECVNDA

TITULUS PRIMUS

De Sacramentorum adminiſtratione.

§. I.

CHriſtus Dominus, nempè homo ille ex natura divina, & humana, ac Verbi æterni perſonalitate compoſitus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi, *ad Coloſſ. 2.* plenus gratiæ, & veritatis in remedium noſtrarum imbecillitatum, atque infirmitatum *Ioan. 1.* ſeptem inſtituit ſacramenta. Horum igitur Sanctitas Noſtram Paſtoralem ſollicitudinem urget, ut ea ſanctè tractanda, & ſuſcipienda eſſe ſubſequentibus monitis præſcribamus.

Sedulam illorum cuſtodiam, nè quis eiſdem impiè abutatur ſemper ob oculos habeant Parochi; omneſque Sacerdotes, ad quos pertinet hæc pretioſa Salvatoris Dona miniſtrare, caveant, ne manus ad ea admoveant animo mortalis flagitii macula reſperſo, ſtudeantque ita vita, & moribus ſe reddere irreprehenſibiles, ut Deo in tanta, ac venerabili adminiſtratione placeant, populoſque ædificent.

Ut Sacramentorum cultus, ac veneratio in animis ſuſcipientium creſcat, Parochi populum inſtruant inter Miſſa-

rum ſolemnia de illorum dignitate, uſu, & ſalutaribus fructibus, atque adeò plano ſermone ad audientium captum ſe accomodent, ut majori religione ea quiſque ſuſcipiat, Deumque eorum Datorem immortalem recognoſcat. Suſcipientes ulterius edoceantur de cultu, atque ornamento corporis ita componendo, ut animi compoſitioni reſpondeat, & modeſtiam, ac gravitatem redoleat. Mentem enim humilem, & in cœleſti cogitatione defixam divinorum ſacramentorum perceptio requirit, quæ primùm in corporis decenti ſtudio apparet.

Populum item edoceant, aquam, quæ in Baptiſmatis fonte aſſervatur, olea ſacra, quæ ſuis recondita vaſculis tenentur, ſacramenta non eſſe, ſed ex illis Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ Unctionis Sacramenta confici. Eaque tum demum in Sacramenti naturam elevari, cum ab eorum miniſtro alteri applicantur, excepta Sanctiſſima Euchariſtia, quæ ſimul ac ritè conſecrata eſt, ita Sacramentum concipit, ut ille idem efficiatur, qui è cœlo delapſus pro humani generis ſalute, in ara Crucis immolari ſuſtinuit.

§. II.

UT Parochi in Sacramentorum adminiſtratione eos ritus, & cœremonias maximè colant, quibus Sancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Parens, & Magiſtra utitur, utque in tantæ Majeſtatis Myſteriis ea ſolum agant, quæ decent, Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum ſemper ſub oculis habeant, illudque in unaquaque Parochiali Eccleſia ſervari præcipimus.

Vocati ad infirmos quovis tempore, & hora diei, ac noctis expeditè, & ſine excuſatione, immò hilari vultu, & prompto animo accurrant, nè eorum culpabili mora aliquis ſine Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramentis decedat, graviter à Nobis negligentes plectendi præter rationem, quam Deo erunt reddituri.

Nemini denegent Sacramenta ob decimas non ſolutas, vel ob aliam quamcumque temporalem cauſam. Publicos verò peccatores, & excommunicatos, excepto mortis articulo, ad illo-

rum

rum susceptionem non admittant, memores divini interdicti: Nolite sanctum dare canibus.

Sacramenta Baptismatis, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ semper in Ecclesiis administrentur nisi urgens necessitas aliud suadeat; & administratores talari veste, superpelliceo, & stola induti id peragant. Enixè etiam curent Parochi, ut vasa sacra, cæteraque omnia pro sacramentorum usu, & ministratione adhibenda Ecclesiastico nitore, ac mundicie colluceant.

Iidem Parochi sacramenta per se ipsos administrent, nihilque pro tali munere exercendo recipiant, omnem prorsus à se removendo simoniæ labem, & avaritiæ suspicionem. Hinc nullus sacerdos sive sæcularis, sive regularis audeat in aliena Parochia sacramenta administrare, nisi urgente necessitate, vel Parocho permittente.

TITULUS SECUNDUS

De Sacramento Baptismatis.

§. I.

SAcramentum Baptismus est, per quod primitias spiritus accipimus, & principium alterius vitæ, ut sit nobis regeneratio, & sigillum, & custodia. Ut ergo immensum hoc donum gratiæ ritè suscipiatur Parochi, & Archipresbyteri, ad quos baptizandi munus spectat, cæremonias Baptismum antecedentes, & comitantes ob oculos habeant.

S. Joan. Damasc. 4. sent.

Sciant propterea, ideò Patrini, seù susceptoris assistentiam adhiberi, ut partim fidejussoris, partim Pedagogi, seù Patris spiritualis munere fungatur. Hinc cum D. Augustino tàm mulieres, quàm viros, qui infantes in Baptismate suscipiunt, moneant, ut cognoscant se ipsos fidejussores apud Deum esse pro illis, quos visi sunt de sacro fonte suscipere, ideòque semper eos suadere debent, ut castitatem custodiant, Justitiam diligant, charitatem teneant. Moneant item ipsos Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Decalogi Præcepta, & Ec-

S. August. serm. post Pascha.

& Ecclesiæ tenere debere, & illis, quos suscipiunt ostendere.

Advertant, quod Nominis impositione significetur, Baptizatum Deo nomen dare, & albo militiæ ejus adscribi. Itaque imponantur infantibus nomina, quæ sint Sanctorum, omissis iis, quæ fuerunt Gentilium, & inanium Deorum; fœminis item ob reverentiam B. Virginis, numquam detur nomen Mariæ, nisi conjunctum cum alio nomine.

Insufflent in faciem baptizandi, tùm ut significetur, Sathanam cum contemptu ejici, tùm ut indicetur, quòd per Baptismum Spiritus Sanctus velut spiraculum vitæ illi insuffletur, & novus homo regenerari videatur. Forment cruces tam in fronte, quam in pectore, ut baptizandus non erubescat nomen Christi crucifixi. Sal immittatur in os, ut, quemadmodum Origenes loquitur, infans per salem typicum conditus omni iniquitatum fœtore careat. Salivam ad nares, & aures apponant, ut vocem Dei audire, & bonum pietatis odorem gustare incipiat. Interrogent an sathanæ renunciet, & operibus ejus. Ungant oleo sacro in pectore, ut vigeat in corde ejus sapientia, & in humeris, ut in exercitio bonorum operum indeficiens servetur patientia.

Cum ad Baptismi fontem pervenerint, interrogent Parochi, an infans Domi baptizatus fuerit, quis eum baptizaverit, qua materia, & qua forma usus sit; tunc enim solùm cæremoniæ suppleantur in Ecclesia super jam baptizato in privatis ædibus, tàm illæ, quæ Baptismum antecedunt, de quibus jam locuti sumus, quàm eæ, quæ subsequentur nempè: Unctio Chrismatis in vertice, qua significatur Baptizatum nunc verè esse Christianum: Vestis albæ oblatio, vt meminerit se nunc esse Regni cœlestis candidatum, & cerei ardentis traditio, ut doceatur se Fidem, Spem, & Charitatem non corde dumtaxat, sed etiam opere profiteri debere.

§. II.

NOn recipiant Parochi ad susceptoris, seù Patrini munus excommunicatos, vel interdictos, infames, aut notoriè flagitiosos. Similiter eos, qui saltem ad annos 14. si vir, vel

vel ad 12. si fœmina, non pervenerint: qui non fuerint sacra Unctione liniti; qui præcepto de annua Communione non satisfecerint, quique Christianæ fidei rudimenta ignoraverint. Præterea ad Ritualis præscriptum non admittant Monachos, seu Regulares cujuscumque ordinis, nec etiam Clericos in sacris constitutos. Ii verò, quos admittunt non sint plures, quàm duo.

Moneant parentes, nè extra casum necessitatis ad proprium puerum baptizandum se intromittant; moneant etiam matres, seù nutrices, nè teneant infantem in proprio lecto ab anno, & infra sub censuræ pœna nobis reservata; atque prohibitionem nostram Parentibus explicent de non protrahendo Baptismo puerorum ultrà octo dierum spatium; & si privatim fuerint baptizati, obligationem de iisdem intra idem tempus ad Ecclesiam deferendis, ut in ea exorcismi, preces, & unctiones suppleantur.

Mulieres, quæ obstetricandi munus exercere cupiunt, Parochus ad Ecclesiam vocet, ibique privatim interroget, an sciant materiam, & formam Baptismi; easque præcipuè edoceat eodem tempore, quo infundunt aquam, pronuncianda esse Verba formæ, & imponendum esse nomen baptizato.

Infantes expositos, licet cum schedula testimoniali, per quam indicetur fuisse baptizatos reperti fuerint, nisi tamen evidens appareat hæc certitudo, iterùm Parochus baptizet; idemque nomen servetur, quod in schedula notatum est.

Populum inter Missarum solemnia sæpè edoceat, materiam hujus Sacramenti esse omne naturalis aquæ genus, sive maris, sive fluminis, sive paludis, sive putei, sive fontis; ipsamque licet turbidam, & inquinatam baptizandi facultatem retinere; quamquam omne studium sit adhibendum, ut quàm maximè nitida, & pura adinveniatur: Hocque à divina Bonitate factum esse, tùm ad significandam virtutem abluendi animæ maculas, tùm ad reprimendos cupiditatum ardores; & denique cum sit Sacramentum maximæ necessitatis, possit esse omnibus quocumque tempore, & ubique locorum materia ejus obvia, & facilis inventu.

Legitimam verò formam doceat esse hæc verba: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum tri-

trina ſuper caput baptizandi per modum Crucis infuſione aquæ, tribus divinis Perſonis correſpondente. Idem ſit, qui aquam adhibet, & verba pronunciat ſive latino, ſive vulgari ſermone, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, nihilo formæ detracto, vel addito, per quod verborum ſenſus, & reſpectivè ſacramenti ratio tollatur.

Et nè quidquam inconſideratè agatur ſuccedente aliquo dubio gravi, ut ſi partus eſſet monſtruoſus, vel hujuſmodi, doceat, tunc conſulendos eſſe Medicos, vel Chirurgos, vel Parochos peritiores, immò Nos, vel Noſtrum Vicarium Generalem, quoties tempus patiatur, nullumque in mora periculum inveniatur.

Efficaciter quoque moneat Puerperas, ut cum primùm Domo exeunt, ad Eccleſiam ſe conferant gratiam prolis largitori acturæ, & benedictionem laudabili more retento à Parocho recepturæ. Nec non quemcumque denique ex fidelibus hortetur, ut quotannis propriæ nativitatis diem, pia recordatione characteris, quo in Baptiſmate inſignitus fuit, & ſponſionis, quam in eodem fecit, tùm orationibus, tùm eleemoſynis, aliiſve piis operibus pro ſua quiſque poſſibilitate devotè celebret.

§. III.

BAptiſmi Sacramentum neutiquàm domi, ſed in iis Parochialibus Eccleſiis, in quibus fons baptiſmalis habetur, conferatur; ſi quis verò culpa, vel negligentia Parochi ſine Baptiſmatis Sacramento decedat, Parochus ipſo facto pœnæ ſuſpenſionis Nobis reſervatæ ſubjaceat. Singulis ergo animarum curam gerentibus, qui talem fontem ſuis in Eccleſiis habent, rigoroſè præcipimus, nè umquam diſcedant, niſi alio idoneo miniſtro ſubſtituto. Item ſub eadem pœna ſuſpenſionis, pueros alterius Parochiæ non baptizent, niſi neceſſitate, & periculo mortis ſuadente.

Super fontis Baptiſmalis Urnam imponatur operculum clave munitum, & ſuper Tabernaculum ad modum Pyramidis, vel alterius decentis formæ fabrefactum ſericum conopæum, ſi fieri poteſt extendatur, pingaturque in viciniori pariete

riete Imago Christi Domini Baptisma á S. Joanne Baptista recipientis. Intra Tabernaculum componatur Armariolum, in quo collocentur vascula argentea, in quibus servantur Olea Sacra cum suis inscriptionibus; Vas salis benedicti, Rituale Romanum, cochlear, & reliqua necessaria pro digna tanti Sacramenti administratione.

Recognoscant Parochi saltem in mense fontem Baptismatis, ne immotus putrescat, vel Oleum separetur. Librum, in quo notentur Baptizatorum nomina habeant. Ipsa die sabbati sancti, & in Pentecostes pervigilio solemni ritu fontis Benedictio celebretur. Et quoniam nostra annuente Facultate multis Ecclesiis ruralibus Baptismalem fontem erigi datum est ob promptiorem hujus Sacramenti ministrationem, hoc volumus esse permissum absque ullo præjudicio Ecclesiarum Matricum, ad quas adhùc accedere jubemus, cum supradictis diebus sit solemnis Benedictio, omnes Rectores, & Archipresbyteros cæterarum Ecclesiarum filialium, ibique singulis annis aquas desumere, ad proprium fontem delaturos.

TITULUS TERTIUS

De Sacramento Confirmationis.

§. I.

QUoniam in hoc Mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Hinc Decretales paginæ, & Sanctorum Patrum instituta decernunt, non esse differendam post Baptismum Sacramenti Confirmationis Virtutem, nè nos inermes inveniat fraudolentus ille contortor, à quo nemo umquam nocendi inducias extorsit.

S. Melchiad. Pontif. epist. ad Episcop. Hisp.
S. Petr. Dam. Serm. 1. de Dedic. Eccl.

Parochi igitur postquàm nostro Edicto certiores facti fuerint quando, & ubi hoc Sacramentum administrandum sit, doceant populum inter Missarum solemnia, potestatem con-

ferendi hujusmodi Sacramentum esse penes Episcopos. Materiam ex gemino liquore, oleo scilicet, & balsamo constare ab Episcopis solemniter consecrato, quod à divinarum rerum scriptoribus Chrisma appellatum est. Unumquemque ceù Christianæ militiæ tyronem inunctione confirmatum adversùs quotidiana pericula spiritualia. Cruce consignari frontem, quæ pudoris est sedes, ut non erubescat Christum, & fidem Catholicam coram hominibus confiteri. Alapam impingi, ut militiam Christianam invicta patientia exercendam esse, perpetua memoria retineat. Frontem obligari fasciola, tùm ne temerè tangatur, & abstergatur Chrisma, tum ut intelligat confirmatus, gratiam Confirmationis sedulò sibi conservandam esse. Dari Patrinum, ut se adhùc Tutore indigere sciat, sicuti Tyroni militi veteranus adjungitur.

Monstrent insuper triplicem Confirmationis effectum pulchrè his verbis indicasse Apostolum: Qui autem confirmat nos nobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus (qua unctione robur animæ denotatur, qui primus effectus est) qui & signavit nos (Charactere scilicet hujus Sacramenti, atque adeò reiterari nequit) & dedit pignus spiritus in cordibus nostris, per gratiæ habitualis, aliorumque habituum supernaturalium infusionem, quæ tertium effectum demonstrat.

1. Cor. 1. 21.

§. II.

EDicant Parochi hoc Sacramentum suscepturis, ut ad se quamprimùm accedant privatim examinandi, an caleant mysteria Fidei, an sciant Symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi, Salutationem Angelicam, & Orationem Dominicam memoriter recitare. Sedulò etiam curent, ut confirmandi omnes, nè gratiæ, quæ in hoc Sacramento confertur obicem ponant, conscientiam priùs per Confessionem emundent.

Cum ætas ad hoc Sacramentum suscipiendum ex laudabili consuetudine septennium sit, Parentes non adducant Pueros, seù Puellas ad sacro Confirmationis Chrismate injungendos ante hanc ætatem, nec ultra duodecimum annum differant.

Nul-

Nullus Confirmandus accedat abſque ſchedula annotationis proprii nominis, & cognominis, Patris, Matris, Patrini, Matrinæve, & Parochiæ, in qua habitet. Cum hac igitur coram Epiſcopo confirmante ſe præſentet, quæ poſtea conſignabitur Sacriſtæ Eccleſiæ, in qua Confirmationis Sacramentum adminiſtratum fuerit, cujus onus erit, facto propriarum regiſtro, reliquas mittere ad cæteras Parochiales Eccleſias, ut ſinguli Parochorum eas in libello ad hæc parato deſcribant.

Non confirmatus, vel non confirmata in ſuſceptores non admittantur; ſicuti nec vir mulierem, nec mulier virum ſuſcipiat, aut qui compater extiterit Baptiſmatis: Qui verò ad hoc munus vocatus fuerit, eligatur eiſdem circumſtantiis, quæ in Baptiſmo fuerunt præſumptæ, ſciatvè onus Parentum, & Patrinorum eſſe edocere confirmatos principaliora fidei myſteria; atque eamdem ſimiliter cognationem ſpiritualem naſci, quæ ex ſuſceptione Baptiſmatis provenit.

Minor natu non ſuſcipiat majorem, ſecluſa neceſſitate, & caſu, quo fuerit ætatis, in qua proprio muneri ſatisfacere potuerit; idemque ſervetur, quoad Vitricum, ſeù Novercam reſpectu Privigni, & Conjugem reſpectu Conjugis.

TITULUS QUARTUS.

De Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, & Annua Communione.

§. I.

QUanta cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reverentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, atque animi puritate illud divinum, & cœleſte myſterium eſt celebrandum, ubi caro Chriſti in veritate ſumitur, ubi ſanguis Chriſti in veritate bibitur? Altiſſimum, atque Auguſtiſſimum hoc Sacramentum ſalus animæ, & corporis, eſt medicina ſpiritualis languoris, qua vitia curantur,

S. Ambroſ. orat. ante Miſſ.

De Imit. Chriſti lib. 4. cap. 4. §. 2.

S. Laur. Justin. de Euch. rantur, passiones frænantur, tentationes vincuntur: Quis ergo non cum exultatione miretur? Sanè numquam fuisset homo ausus talia petere, sed neque cogitare, quoniam hoc misericordiæ opus omnium mortalium supereminet dignitatem.

Ad tam magnum Sacramentum servandum Tabernaculum in conspicuo, & insigni loco Ecclesiæ collocetur, illudque ornatissimum adhibeatur, vel ex pretioso marmore confectum, vel ex ligno affabrè elaboratum. Undequaque extrinsecus inauratum, vel depictum sit, intrinsecus verò serico panno ornatum, cum ostiolo ad extrahendam, & reponendam Eucharistiam firma sera, clavisque argentea, vel saltem auro illita munito. Pendeat è lateribus Tabernaculi singulis diebus conopæum albi, rubri, viridis, & violacei colorum pro temporum ratione mutandum.

In Pixide argentea, quæ interius sit auro illita, asservari volumus particulas consecratas, octavo quoque die æstatis tempore, hyemis verò quintodecimo renovandas. Pixis hæc tentoriolo serico contegatur, super corporali mundo collocetur, atque in vertice ipsius crux, vel Imago Christi resurgentis affigatur. Altera quoque habeatur Pixis, quæ inserviat pro deferendo ad infirmos Sacramento, uti nostro Edicto aliàs decrevimus.

Tabernaculum taliter Altari inhæreat, ut non possit facilè dimoveri; taliter quoque collocetur, ut difficilè non sit ad eum ascendere quoties extrahenda, vel reponenda sit Eucharistia; Sin minus scabellum amovibile, variisque coloribus pictum adhibeatur.

Ad incitamentum amoris, quo fideles SS. Eucharistiæ Sacramentum prosequi debent, lampas coram eo diù, noctuque ardeat. Contra negligentes Parochos pœnas vix statuere ad arbitrium nostrum audemus, adeò spes certa Nos tenet, neminem reperiri posse, qui tali negligentiæ macula velit notari.

§. II.

SUadeant Parochi fidelibus, ut ſaltem diebus Dominicis Euchariſtiam percipiant, ſi tamen mens ſine voluntate peccandi ſit, monſtrentque baptizatos homines, quoties longo temporis ſpatio Chriſto myſticè communicare recuſant, ab æterna vita ſe procul depellere; quippe recuſatio hujuſmodi Sacramenti, & ſcandalum facit, & laqueos inſtruit. Iis verò, qui Dominico die Communionem ſumunt, præcipuè mulieribus, declarent eum, qui aliter ſe non præparat, niſi inſtante feſto, & conſuetudine compellente, ſæpiùs imparatum eſſe; Communionis enim tempus non eſt feſtum, atque celebritas, ſed conſcientia pura, & vita à peccatis repurgata.

Parochus non admittat Adoleſcentes ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, niſi antea per aliquos dies eos examinaverit, & de divinitate, virtute, & myſteriis tanti Sacramenti inſtruxerit, eorumque mentes ſumma veneratione, & timore impleverit. Ætas verò, in qua poſſunt admitti ad ſacram Communionem, erit circa duodecimum annum, ac etiam prius, quoties judicium ſuppleat ætatem, quo puer, ſeù puella ſciat ratiocinari de reali Corporis, Sanguinis, Animæ, & Divinitatis Domini Jeſu in SS. Sacramento præſentia, ac etiam de innumerabilibus gratiæ fructibus, qui percipiuntur, deque animi humilitate, reverentia, & conſcientiæ puritate, qua ſumi debet; & hoc pro captu cujuſque. Præmittatur à quolibet ipſorum per duas, vel tres vices Sacramentalis Confeſſio. Quòd ſi aliquis eorum læthaliter infirmetur tunc fiat brevis, & diligens inſtructio, & Sacra Communione ad modum Viatici reficiatur, nè tanto pignore ad vitam immortalem conducente privetur.

§. III.

MUnus præcipuum Parochorum sit curare, ne quis negligat hoc Sacramento refici in Paschate, ac propterea ante ipsum tempus moneant tàm per se, quàm per Concionatores populum, ut se præparet ad tam grandem, & salutarem præcepti satisfactionem. Ut autem hoc adamussim obtineant quolibet anno censum familiarum faciant, eorumque Nomina, qui ad Eucharistiam sumendam præcepto obstringuntur in Catalogum redigant. Accedentibus ad sacram mensam schedulas distribuant. Completo Paschali tempore domus propriæ Parochiæ circumeant, & recolligant. Quos defecisse compererint prima, & secunda die post Octavam Paschatis gravibus verbis præceptum adimplere moneant, spatio octo dierum assignato. Crescente contumacia, nomen illorum post quartam Dominicam scriptum deferant Nostro Vicario Generali, vel in Diœcesi Vicario Foraneo, cujus onus erit curiam certiorare, ut transacto Ascensionis die declarentur interdicti, priventur ab ingressu Ecclesiæ, & si moriantur contumaces Ecclesiastica sepultura careant. Parochos autem deficientes tàm informatione dicti Catalogi, quàm in deferendo nomina non communicatorum pœnæ suspensionis volumus subjacere.

Neminem ad sacram Communionem, etiam in Paschate admittant, quem publicè sciant in peccato mortali permanere, aut occasionem mortaliter peccandi nolle omittere, etiam si se absolutum ab aliquo ex approbatis Confessariis prætendat; nisi prius malo exemplo, per quod populus scandalum passus est, satisfecerit. Quod si adhùc ad Sacram Mensam accedere ausus fuerit, ab eadem removeantur. Hoc idem servari volumus quoad illos, qui ex communi in viciniis inhabitantium hominum notitia peccantes, vel occasionem peccandi non relinquentes fuerint detecti, si tamen prius secretò, deinde coram uno, aut duobus spectatæ fidei viris moniti fuerint.

Publici peccatores, concubinarii, mulieres palàm expositæ, usurarii, & publici scandalosi, ac cœteri Sacramentorum

inca-

incapaces per proprium Parochum à Sacra Communione rejecti, nullatenus à Sacerdotibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus Nostræ Jurisdictioni quomodolibet subjectis admittantur imposita contravenientibus pœna suspensionis ipso facto incurrendæ.

Parochi singulo quoque anno in Dominicis Adventus, & Palmarum inter Missarum solemnia Constitutionem Synodalem aperiant populo de non admittendis viris, qui absque necessitate, & publicè armis cincti communicaturi accedunt. Item etiam de non admittendis mulieribus, quæ faciem fuco illitam habentes, vanitatemque præseferentes, capite, & humeris detectis ad Angelorum Mensam se præsentant, tamquam ad profanum Convivium ituræ. Quoties verò tàm viri, quàm fœminæ inobedientes ad Sanctissimam Communionem accesserint, Eucharistia non tradita Parochi, cæterique Sacerdotes eos omninò transileant.

Contra illos, qui Paschali tempore in sua Parochiali Ecclesia non communicaverint, etiamsi posteà in alienam Parochiam migrent, prior Parochus agat, ac si in sua inhabitarent. Faciles non se præbeant Parochi in concedenda licentia communicandi extra Parochiam. Qui verò eam obtinuerint, præceptum à se fuisse adimpletum scripto testimonio doceant, aliàs iterum satisfacere cogantur.

Scholaribus, Mercatoribus, Operariis, Mendicis, Zingaris, & vagis hominibus in Civitate Cathedralem, in Diœcesi Ecclesiam matricem pro Parochiali deputamus.

Qui partim urbano, partim rurali Domicilio utuntur communicent in Parochia, in qua majori anni parte commorantur.

§. IV.

IN administratione Sanctissimæ Eucharistiæ monemus Sacerdotes, ut superpelliceo, & stola coloris officii illius diei convenientis induti ad Altare accedant; & si inter Missarum solemnia contingat administrari, id fiat post Communionis sumptionem, & ante digitorum ablutionem, & Calicis purificationem.

Ubi

Ubi non ſunt Capellæ cancellis circumcluſæ, & vbi exponitur SS. Euchariſtiæ Sacramentum, oblonga extendantur ſcamna mappis mundis contegenda, quorum alteri homines, alteri mulieres humiliter accumbant ſacram accepturi Euchariſtiam, parenturque duo candelabra majora pro facibus ſubſtentandis.

Paratum adſit vas pro ſubminiſtranda ſæcularibus purificatione ad alios uſus numquam deferendum, ejuſvè loco numquam calix adhibeatur. Item habeatur mantile ad abſtergenda labia, vetato uſu tobaleæ, quæ ad contegenda ſcamna fuerit deſtinata.

§. V.

PArochi Sacram Euchariſtiam per modum Viatici infirmis miniſtraturi obſervent, ut quicumque Communicaturus ſit in magno Vitæ diſcrimine conſtitutus, & corpore ita diſpoſitus, licet non jejunus, ut nullum vomitus, vel irreverentiæ periculum timeatur. Sin autem infirmus ita ſit impeditus, ut nullo modo ſumere poſſit Euchariſtiam, ea ſimpliciter adorationis gratia non deferatur.

Dum Communionem deferunt ſint ſuperpelliceo, & ſtola induti, ac etiam Pluviali, ſi vires loci patiantur, ſaltem in Civitate, nec non velo ſericò ſuper humeros incedant. Adſit Baldachinum, ſeù Umbrella cum duodecim ſaltem luminibus. Campanula ante ſacram Euchariſtiam per Clericum veſte talari, & ſuperpelliceo indutum, ſi fieri poteſt, pulſetur. Quod ſi non adſit Clericus, id ſuppleatur ab uno ex Confratribus Societatis SS. Sacramenti.

Pannum lineum, vel ſericum deferre curet Parochus extendendum ante pectus infirmi, in actu ſumptionis ſacræ Euchariſtiæ, nec non paratum Cyatum vitreum, quo ipſe digitos purificet, & ad infirmi labia poſſit per aliquem adſtantium admoveri, damnato uſu purificationis præbendæ ab ipſo Sacerdote.

In Civitate, ſuburbiis, vel oppidis duæ ſacræ Particulæ ſemper deferantur, & quæ infirmo ſupererit, ad Eccleſiam ſolito ordine deferatur. In Diœceſi verò unica tantum Particula

ticula adhibeatur, hæcque in Pixide parva recondatur in bursa serica cum suis funiculis olosericis collo appensa, ut absque periculo, & minori difficultate per longum iter, & difficiliores calles procedat Parochus.

Aperto capite quilibet incedat, iis qui luminaria deferunt præcedentibus, Psalmos, & divinas laudes ad præscriptum Ritualis Romani recitantes, Mulieres ultimo loco sequantur à collocutionibus vanis abstinentes, & ad januam Domus infirmi sistentes.

Domus ipsa ægrotorum, & præcipuè cubiculum, ubi infirmus decumbit, mundetur, ac decenter poliatur, in quo etiam mensa mundissima mappa cooperta cum duabus facibus accensis adaptetur, ibique Corporale explicetur pro sacra Pixide apponenda.

Ad Ecclesiam revertentes sacras item laudes recitent, & cum ad eam pervenerint, populus benedicatur, Indulgentiæ pro associantibus *SS. Sacramentum* enuncientur, illudque devotè reponatur. *Si verò revertendum sit absque Sacramento*, in hoc casu Parochus benedicat populum super limen Domus infirmi, & peracta Communione se exuat superpelliceo, & stola, vasculumque recondat, & secum deferat, numquam alibi relicturus.

§. VI.

QUoniam verò gloria magna est sequi Dominum, ideò superioribus annis Edictum fecimus quoad ea, quæ servanda sunt à Christifidelibus, atque etiam à Sacerdotibus, & Clericis, qui intra limina Paræciarum inhabitant, è quarum Ecclesiis Eucharistia ad infirmos defertur. Eadem omnia hic denuò confirmamus, & menti Summi Pontificis Innocentii XII. inhærendò omnes Parochos, & respectivè singulas Confratrias *SS. Sacramenti* hortamur, ut adamussim curent observare.

Quoties Parochus accedit ad ægrotos Viaticum ministraturus, ea qua poterit majori Confratrum frequentia societur, hique saltem duodenum impleant numerum. Quod si in aliqua societate sodalium numerus desideretur, Parochus fla-

granter curet eum augeri, Nobisve omnem aperiat difficultatem.

Parochus antequam Infirmo Viaticum præbeat proponat Actus Spei, Fidei, & Charitatis, vel Contritionis ab eo faciendos, nè Eucharistiam sumendo judicium sibi manducet, eumque etiam ad mortem libenter subeundam disponat, quoties ita Dei Voluntati placuerit. Licet enim supponendum Nobis sit hæc omnia suggessisse Infirmo, cum peccata ejus audiendo Absolutionem impartitus est, attamen optimum ducimus etiam in hoc instanti eadem repeti, ac renovari coram SS. Sacramento, sed brevioribus queis poterunt verbis, etenim illi ægrotanti maxima reum tunc temporis est summa dispositione vesci Pane Cœlesti, cum probabiliter credendum sit hanc Sacramentalem refectionem ultimam eidem fore.

Omnibus Parochis nostræ Diœcesis, sed præcipuè Civitatis declaramus Nos abusum illum detestari aliquorum Infirmorum, vel potius eorumdem Parentum, & Consanguineorum (quod ut plurimum in Domibus Nobilium evenit): qui dedita opera curant horis insuetis ad se deferri Viaticum, parvo, vel nullo Campanæ sonitu præmisso, nè ullus interveniat, sitvè privata Communio. Jubemus igitur omnibus, & singulis Parochis tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, nè in posterum hujusmodi voluntatibus obsequantur, cujuscumque sint Personæ, etiam Nobilium, & dignitate fulgentium: Volumus enim debitis horis SS. Sacramentum ad infirmos deferri, hoc est, non summo manè, cum vix præco diei sonuerit, & jubar evocaverit, tunc enim multi adhùc somno detinentur; nec adeò die sole plena, ut omnes jam de domibus exierint, sed hora, & tempore commodiori exceptis casibus mortis imminentis; etenim in Rituali Romano jubetur Sacramentum deferri ab Ecclesia ad privatas ægrotantium Domos manifestè, atque honorificè. Quoties verò noctis tempore deferendum sit Viaticum Campanæ non pulsentur, nè mulieres exeant de domo sub devotionis prætextu, & velamine, sed tantum viciniores viri convocentur.

§. VII.

§. VII.

AD majorem SS. Sacramenti gloriam pro hujus Tituli coronide Parochis onus facimus populum edocendi, hoc Sacramentum à Christo Domino in ultima Cœna fuisse institutum, ut qui è cœlis ad nos redimendos descenderat, sua nos præsentia numquam destitueret. Ea enim parata panem accepit, & post gratiarum actiones, benedictionem, & fractionem, sermone illo, qui ex nihilo potuit facere, quod non erat, in suum verum corpus transsubstantiavit. Auctoritate à Domino in discipulos transfusa, & ab his in sacerdotes propagata, effectum inde mirabiliter est, ut ab his ritè hostia consecrata in illum ipsum transsubstantiaretur, qui natus ex Maria Virgine, Crucifixus, mortuus, ac sepultus, & in Cœlis ad dexteram Patris sedet. Quia verò Corpori Sanguis, & Sanguini Corpus, Anima, ac Divinitas conjunguntur, fit ut ipse totus Jesus verus Deus, & verus Homo, verè, & realiter tàm in Hostia, quàm in Calice contineatur.

Maximis beneficiis ex digna ejus Communione nos ornari, atque augeri. Anima enim ex ipso spirituali Cibo alitur, & confortatur, non secus, ac panis naturalis nutrit, ac confortat corpus, salva differentia, quod hic nos alens in nostram vertitur substantiam, cœlestis verò nutriens animam, recreansque in suam ipsius mutat naturam. Quadam item lætitia, dulcedine, & suavitate spirituali inebriatur, præservatur à culpis, inducitur ad amorem castitatis, & perseverantiæ in bonis operibus.

Doceant insuper quemlibet juxta Apostoli monitum, ac Sacrosancti Concilii Tridentini Decretum se ipsum priùs probare debere antequam de pane illo edat, & de calice bibat. Præmittant ergo diligens conscientiæ examen, eamque humili confessione, & pœnitentia expurgent, & dum ad sacram Eucharistiam accedunt secum cogitent, ibi esse verum Corpus, & Sanguinem Domini, eamque illius vim esse, ut quemadmodum pro animo suscipientium gratiam tribuit, ità impurè, atque indignè sumere audentibus, perniciem, & judicium affert sempiternum.

Facultatem hoc Sacramentum conficiendi solis Presbyteris demandatam esse, illamque virtute Characteris in animam indelebiliter impressi, ità ut crimine quocumque damnati, ea potestate privari nequeant, licet tunc temporis ea abutentes gravissimum perpetrent flagitium.

Solis item Sacerdotibus sacram Eucharistiam conficientibus sub utraque specie sumere licitum, immò necesse esse, ut Christi Domini oblatio, & sacrificium mysticè fiat. Cæteris verò sub specie tantum panis ministrandam, hocque præcipuè factum fuisse ad tollendam hæresim negantem totum in utraque specie Christum reperiri.

Sacram Eucharistiam ministraturi brevibus hortabuntur verbis, ut unusquisque in memoriam revocet, in eadem illum ipsum abdi, & contineri Deum Hominem, qui è Virgine natus, cui Magi Reges, oblatis muneribus divinum honorem tribuerunt, quem Apostoli in Galilæa adoravere, qui denique ad Patris dexteram in Cœlis sedet; proindeque summa cum fide, & devotione ab omnibus esse sumendum.

Quemlibet tandem obsecrent, ut si non quotidie, aut singulis hebdomadis, quolibet saltem mense, aut præcipuis B. V. & anni festis diebus animam tanti alimenti egentem recreare non negligant. Et quoniam maximè expedit, ut juvenes ab adolescentia Pani huic cœlesti assuescant, invigilabunt Parochi, & Ludimagistri; ut omnes, qui scholas frequentant sacro hoc pabulo semel saltem in mense devotè se reficiant.

TITULUS QUINTUS

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. I.

S. Aug. epist. 3. ad Simpl. Dion. Carthus. opusc. de conv. pec. cat. art. 2.

NIhil peccare solius Dei est: emendare, sapientis, & corrigere erratum, ac pœnitentiam agere de peccato. Conversionem enim, pœnitentiamque differre, est tempus vitiosè expendere, spiritualia lucra negligere, hoc

est,

est, profectum in omni gratia, & virtute, in multiplicatione meritorum, impedire, propriam animam vitii lacerare, dœmonibus deservire, Deo altissimo prorsus ingratum existere, qui conversionem iniqui tam misericorditer præstolatur, qui ei pro malis tot bona largitur, & ipsum ad meliora hortatur. Ne quis igitur sic de spirituali ægritudine gratuletur, ut velit in vulnere pertinere, nevè opportuno destituatur remedio, Pœnitentiæ Sacramentum Salvator noster summa misericordia instituere dignatus est. Quia verò hujus Sacramenti administratio solis Sacerdotibus, tamquam Medicis animarum commissa est, nostri Pastoralis officii sollicitudo expostulat, ut non minus scienter, quam prudenter hæc salutaris medicina dispensetur, ideòque sequentia saluberrima monita sancire judicavimus.

S. Petr. Chrysol. Ser. 113.

Nullus sacerdos sive Sæcularis, sive Regularis, qui Parochialem Ecclesiam non obtinuerit, seù quam obtinuit dimiserit, Confessiones audiat, nisi à nobis examinatus, & approbatus, sub pœnis à Sacris Can. inflictis, ac etiam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ juxta Bullas Pontificias, & Sacrarum Congregationum Decreta. Quicumque insuper tali approbatione destitutus est, sciat nec venialium quidem peccatorum absolutionem impartiri posse juxta Decretum Innocentii XI. fel. record. qui verò approbati fuerint, elapso eo tempore, novam petant facultatem, aliàs inutiliter absolvunt, & in pœnas sacrorum Canonum incidunt. Excipitur tamen mortis articulus, in quo omnis Sacerdos quemlibet Pœnitentem à quibusvis peccatis, & censuris potest absolvere, injuncto onere quoad censuras se Superiori suo respectivè præsentandi, quotiescumque periculum evaserit.

Approbatione igitur consecuta, ut diximus, diligentes sint in examinandis, curandisque animorum ægritudinibus, memores, maximam malorum partem, quæ inter Christianos quotidiè occurrunt, ex culpa, negligentia, aut malitia Confessariorum provenire; unde in ipsis summa morum puritas, sufficiens scientia, & religiosa decentia semper debet elucere.

Ad Confessiones audiendas per Diœcesim destinati, antequam

quam munus exercere incipiant, facultatem obtentam Vicario Foraneo præsentent, qui quanto tempore ea fuerit duratura diligenter invigilabit.

Parochi, Capellani, aliive sæculares Sacerdotes dum Confessiones audiunt, superpelliceo, & stola induantur, ut superiùs decrevimus. Non admittant Pœnitentes ante Solis ortum, vel post ejus occasum, præcipuè mulieres, easque ornatibus nimium profanis comptas, vel capite, aut sinu denudato repellant. Sint quacumque hora diei parati ad audiendos Pœnitentes, neque prætextu defatigationis se subtrahant, etenim nonnumquam propositum pœnitendi homini diabolus adimit, aut speranti pœnitentiam tollit.

S. Fulgent. Epin. 7. c. 5.

§. II.

PArochus, qui subditi alienæ Parochiæ infirmi, licet cum consensu proprii Parochi confessionem exceperit; id statim Parocho notificari procuret, vel schedulam propria manu subscriptam penès ipsum infirmum relinquat, vel transmittat ad ipsum Parochum in testimonium peractæ Confessionis, & impartitæ absolutionis, ut reliqua Ecclesiæ Sacramenta ipsi ministrare pro opportunitate possit; alias suspensus remaneat; quod etiam intelligi volumus de quocumque alio Confessario.

Caveant Parochi, cæterique Confessarii sub eadem pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, aliisque arbitrariis pœnis, nè audiant Confessiones extra Ecclesiam (excepto casu infirmitatis) pœnitentium utriusque sexus, & cujusvis conditionis. In Ecclesia verò non admittant extra Confessionale fœminas, exceptis puellis infra decimum annum.

Absolutionem distinctè, sedatè, & graviter, præsertim verba, quæ formam continent scilicet, *Absolvo te à peccatis tuis*, pronuncient. Hanc verò denegent detractoribus, nisi promittant famam restituere, item usurariis, qui injunctam restitutionem non impleverint, similiter qui aliquid vendidit, vel alterius nomine in ementis damnum minori redimat pretio, quique aliquid emit cum pacto redimendi, qui tamen à principio emere non intellexerit, nisi contractu re-

scisso.

ſciſſo. Uxores, ſeù Mariti, qui propria culpa, & ſine judicio Eccleſiæ disjunctim inhabitant. Patres, aut Matres familias, qui in cauſa fuerunt, ne filii, ſervi, & ancillæ ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria ediſcerent. Gravi pœnitentia adſtringant Sacerdotes, vel Clericos in materiis lubricis, & ſenſualibus delinquentes, quoties abſque eo quod reſipiſcant, damnoſa recidivatione plagam ſuam fovere videantur. Immò aliquando abſolutio ſacramentalis ſuſpendatur, ut ad veram pœnitentiam rigor provocet, quos læthalis culpæ ſopor, diu detinuit.

Animos quorumcumque pœnitentium divinæ Miſericordiæ magnitudine erigant, ſolentur, & ad ſua crimina patefacienda adjuvent; Eccleſiaſtici verba ob oculos illorum ponant: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Rudium, & imperitorum inſcitiæ quantum poſſunt ſubveniant, conſcientias diſcutiant, circumſtantias requirant, peccata circumſpectè ſuggerant, ſed cauti maximè ſint in interrogandis puellis, præcipuè in impuritatis materia, ne peccata doceant, dum ea ſuadeant arcere, & animarum zelando bonum, illarum augeant malum.

Eccl. 5.

Volumus inſuper, omnes hujus Sacramenti Miniſtros ab omni noxiæ cupiditatis labe alienos eſſe; propterea decretis Anteceſſorum noſtrorum inhærendo, ſtrictè eiſdem præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus ipſo facto incurrenda, quod non applicent ſibi, aut propriæ Eccleſiæ oblatas in Confeſſione Eleemoſynas, Miſſas, aut incertas reſtitutiones, quæ aliquando pro ſatisfactione injungendæ ſunt, nè aliquid intuitu Confeſſionis videantur accipere.

§. III.

CAveant Parochi, nè illis temporibus, quibus Confeſſiones frequentes eſſe ſolent, præcipuè in hebdomada Paſſionis, & Majori, atque in pervigiliis, & diebus principaliorum anni ſolemnitatum, ab audiendis Confeſſionibus aliquo prætextu ſe ſubtrahant cum detrimento Pœnitentium,

qui

qui aliquando non habita Confessarii copia Confessionem in menses differunt.

Moneant Medicos propriæ Parochiæ, ut nisi post tertium diem à visitatione ægroti ipsis constabit de Pœnitentiæ Sacramento illi administrato, abstineant ab ejusdem visitatione. Hortentur quoque omnes utriusque sexus, ut statim ac annos discretionis attigerint, non semel in anno, sed ter, & quater in mense confiteantur.

In unaquaque Parochiali Ecclesia, sicuti similiter in iis omnibus, in quibus Confessiones audiri soleant, adsint Confessionalia juxta numerum Confessariorum, tabulam habens unumquodque mediam inter Confessarium, & Pœnitentem, cum lamina ferrea foraminibus conspersa. In loco patenti collocentur, unde Confessarius, & pœnitens ab unoquoque videri possint; ibique à latere pœnitentis aliqua Imago, vel Passionis Christi, vel B. Virginis filium in passione, seù juxta Crucem plorantis affigatur, à latere vero Confessarii Bulla Cœnæ Domini, Summarium Casuum reservatorum, ac pia aliqua oratio, seù actus Contritionis formula, quam Pœnitentes docebit, atque ibi corde, & ore eos elicere curabit, ut altiùs peccata eorum deleantur.

§. IV.

MOnemus, Nos ad Confessiones accipiendas approbare nolle, nisi viros maturæ ætatis, nempè saltem annorum triginta, illibatæ, & exemplaris vitæ, & maximè omnium summæ prudentiæ. Quoties horum aliquis mortali labe illaqueatus sit, ad confessiones audiendas non accedat, nisi prius confessus, & si Confessarii copia desit, & ministrandi Sacramenti urgeat necessitas, actum Contritionis curet elicere, aliàs se mortaliter, immò sacrilegii peccare non ignoret.

Parochorum munus sit sæpius inter Missarum solemnia hortari fideles, ut Sacramentum Pœnitentiæ frequentent, nec ad graves ægritudines, mortisve periculi tempora, & momenta procrastinent. Pœnitentia enim, quæ ab infirmo petitur, infirma est, quæ verò à moriente, timendum est, ne &

S. August. Serm. 57. de temp.

ne & ipsa moriatur. Moneant factos per ætatem doli, & rationis capaces præcepto Ecclesiæ quotannis saltem tempore Paschali sub pœna excommunicationis satisfacere debere. Item, ne talis obligationis implementum ad Hebdomadam Sanctam rejiciant, in qua Confessarii tum propter multitudinem confitentium, tùm propter temporis angustias, proprium officium implere congruenter haud possunt, sed tempore opportuniori conscientiam à peccatorum maculis expurgent.

Claram edoceant methodum conscientiæ examinis faciendi, partes, quæ sunt hujus Sacramenti, & explicitis verbis quid sit contritio, & attritio, quid confessio, quid satisfactio, ut de commissis delictis dolere, vitam emendare, peccata singillatim, ac destinatè aperire, injunctamque pœnitentiam promptè acceptare, ac postmodum fideliter exequi discant.

Parochi, cæterique omnes, qui hoc Sacramentum administraturi erunt, petant sæpius enixis precibus sapientiam à Deo, magno studio eam inquirant, & prosequantur adeundo Viros doctos, legendovè libros idoneos, quorum sufficientem copiam domi retinebunt. Nec contenti sint tantùm pœnitentes audire, ipsosque absolvere, sed eos insuper diligenter instruant de modo rectè confitendi, de dolore, ac proposito requisito, de numero, & circumstantiis peccatorum, de obligatione restituendi ablata, & famam, nec non de præcidendo occasiones proximas peccati, nè vitiis imputrescant.

Noverint similiter, quod si quemquam à casibus, aut censuris Summo Pontifici, aut nobis reservatis sub quovis privilegiorum prætextu, excepto mortis articulo absolvere præsumpserint, se incurrere in excommunicationem latæ sententiæ, aliasve pœnas contentas in Decretis jussu sanctæ memoriæ Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. editis: Immò quemcumque habentem facultatem à Sede Apostolica, non tamen, ex novissima constitutione, à peccatis Nobis reservatis absolvere posse. Quibus nè aliqua excusatio in hac parte possit suffragari præcipimus, ut signanter singulis annis Dominica quarta Quadragesimæ, & quarta Adventus Bullæ Cœnæ Domini summarium, & notam Casuum reservato-

rum in præsentium Constitutionum Nostrarum Appendice apponendam inter Missarum solemnia populo vulgari idiomate promulgent.

§. V.

CUm Pœnitens peccata sua humiliter recensere inceperit, non interpellatur à Confessario, nisi quatenus inquirendum erit super circumstantiis peccatorum, quæ speciem immutant, vel pravitatem augent. Sit pariter Confessarius circumspectus, nè imprudentibus percunctationibus incognita suggerat; nec nimis curiosè impudica investiget, ex quibus ipsemet in tentationis laqueum incidat. Dum hæc exequitur, nulla aversionis indicia commonstret, aut gestus faciat, quibus adstantes quidpiam de confitentium peccatis rescire possint. Objurgationes ad finem Confessionis differant, quatenus necessariæ judicabuntur, nè intempestivo rigore pœnitentes deterriti reliqua peccata aperire vereantur. Tandem ita humaniter se gerant, ut remota omni damnosa verecundia omnes animi sinus liberè, & confidenter Pœnitentes patefaciant.

Quem ad restitutionem rerum, seù famæ obligatum in Confessione repererit, & aliàs monitum propriam obligationem non complevisse, non absolvat, seù absolutionem tamdiù differat, quousque restitutio facta sit, & allata damna sint reparata; atque ità discretè attemperet cum misericordia justitiam, nè laqueum damnationis Pœnitentibus injiciat.

Concubinariis, meretricibus, usurariis, inter ludendum blasphemare solitis, & tamen à ludo non abstinentibus, inimicitias exercentibus, aliisque hujusmodi, nisi per aliquod temporis spatium à similibus abstinuerint, absolutio suspendatur quotiescumque Confessario probabilis spes emendationis earum enascatur.

Perspecto à Confessario Pœnitentis conscientiæ statu, seriò explicabit pestiferorum peccatorum effectus, ex amissione videlicet gratiæ, & amicitiæ Divinæ, ex jactura hæreditatis æternæ, ex servitute diaboli, aliisque calamitatibus,

quæ

quæ peccata ſequuntur, ità ut non minus peccatorum ſuorum turpitudinem apprehendat, quam ſalutari timore concuſſus meliorem vitam ducere incipiat.

Denique caveant Confeſſarii, nè connivendo, & indulgenter cum pœnitentibus agendo pro delictis graviſſimis opera leviſſima imponant, unde ipſi audacius in crimina promant, ſed ea Pœnitenti injungant, quæ magis Canonum pœnitentialium diſpoſitioni, illiuſque ſaluti expedire videbuntur. Igitur ſuperbis humilitatis opera; Carnis voluptates ſectantibus corporis macerationem; tenacibus largitatem; iracundis manſuetudinem, & hujuſmodi.

Sicque toto hujus Sacramenti miniſterio ritè peracto, religioſiſſima diligentia animadvertant Confeſſarii, nè quidquam in eo auditum ullo prætextu etiam urgentiſſimæ neceſſitatis directè, ſeù indirectè, aut ulla alia ratione quis eorum revelare ſacrilego auſu præſumat, aliàs ſacrorum Canonum pœnis irremiſſibiliter plectendus.

TITULUS SEXTUS

De Extremæ Unctionis Sacramento.

§. I.

UT cuncti fideles cum exuviis corporum etiam peccatorum reliquias deponerent, atque alacriter in agonem deſcendentes in extremo vitæ conflictu poteſtatibus tenebrarum reſiſterent, Sacramentum Extremæ Unctionis inſtitutum eſt ea clementia, quæ pronior ad ignoſcendum, quàm ad puniendum eſt, dicente Propheta: *Miſerator, & miſericors Dominus, patiens, & multum miſericors.* Curæ igitur erit Eccleſiarum Rectoribus ſaluberrimum hoc animæ, & corporis medicamentum ritè adminiſtrare, exactè obſervando quæcumque in Rituali Romano præſcribuntur.

S. Laur. Juſtin. de Humil. cap. 4.
Pſal. 144.

Cuſtodiatur Oleum Sanctum in Vaſe argenteo intus inaurato, maneatque in loco viſibili prope Altare majus à cornu Evangelii; qui locus ſericis pannis violacei coloris ſit ornatus,

fera clausus, apposita hac particulari epigraphe super ostiolum: *Oleum Infirmorum*. Oleo deficiente, nec tempore patiente, ut aliundè haberi possit, eidem misceatur non consecratum, ita tamen quod infunditur, minus sit consecrato.

Parochi, antequam morbus ingravescat, mentemque ægro eripiat, curent, ut hoc Sacramentum opportuni recipiatur. Hinc quocumque tempore vocati accedant, nè eorum negligentia quis sine Extrema Unctione decederet; immò si quem negligentem in illius petitione agnoverint, atque morbum ad periculum ingravescere viderint, eumdem hortentur, ut hoc Sacramento muniatur, explicando quæ sint illius virtutes.

Deferatur Oleum Sanctum ad Infirmum à Parocho, vel de ipsius facultate ab aliquo alio sacerdote superpelliceo, & stola induto, præcedente Clerico præcipuè in Civitate cum Cruce, Aqua benedicta, Rituali, cæterisque rebus ad hujus Sacramenti administrationem necessariis; paratis, quantum fieri potest, in Infirmi domo Mappa, & mensa; serventur in reliquis, quæ præscribuntur, ut diximus, in præfato Rituali Romano. Quod si inter ungendum ægrotus decesserit, ulterius non progrediatur.

Peracta administratione, ubi Infirmus vocis, & sensuum usum non amiserit, brevibus, sed piis, & suavibus verbis excitetur ad desiderium æternorum, quo spem maximam de divina misericordia eliciat, & Dei voluntati se uniformet. Interim in illius Animæ commendatione, summa Parochus pietate adsistat, sacras preces recitet, curetque toto illo tempore, ut Adstantes pro Infirmi agone Deum precentur.

Gossipium, quo inuncta membra absterguntur, in Ecclesia comburatur, & cineres in sacrario reponantur. Quoties in codice mortuorum nomina conscribuntur, dies etiam omnium susceptorum Sacramentorum adnotentur, & præcipuè Extremæ Unctionis. Vicarii foranei sæpius in anno suum Vicariatum percurrendo exquirant à Parochis, quinam obierint, numvè ipsi Parochi præsentes in eorum obitu fuerint, repertoque aliquo negligente, paternè eum admoneant, pœnasque à sacris Canonibus inflictas, nisi resipiscat, exponant.

§. II.

§. II.

ALiquo ex Parochia ægrotante, caveat Parochus, ne se à residentia absentet, ad hoc ut possit illum invisere, atque diù, noctuque pro administratione hujus, & aliorum Sacramentorum paratus esse. Dum hoc Sacramentum administrat, renes, licet voluptatis, & libidinis sedes ex honestate, in fœminis ungere omittat. Qui verò caret membro inungendo, in parte viciniori perungatur. Laicorum manus interiùs, Sacerdotum verò exteriùs inungendæ sunt, horum enim in parte interiori in ordinatione sacra inunctæ fuere.

Si aliquando contingat, simul cum Sanctissima Eucharistia ad Infirmos Oleum Sanctum deferri ob imminens periculum proximæ mortis, hoc casu occultè portandum curet Parochus ab alio Sacerdote, vel etiam Diacono, si commodè haberi poterit, præcedente ipso cum Viatico, & deinde altero subsequente.

Sciant omnes curam animarum habentes hanc sacram Unctionem administrari posse senio confectis, etiamsi in lecto non jaceant; periculosè vulneratis ad mortem; infirmis, qui dum erant sana mente illam petierunt, aut verisimile est, quod petiissent; item baptizato in ipso mortis articulo, & hujusmodi. Non autem usu rationis carentibus, furiosis, perpetuò amentibus, excommunicatis, interdictis, impœnitentibus; periculosam navigationem suscipientibus, perpetuò carcere mulctatis sui ultimo supplicio afficiendis, & illis, qui in eadem infirmitate aliàs sacra Unctio fuerit administrata, nisi convaluerint, & de novo in discrimine vitæ positi fuerint.

§. III.

POpulum instruat Parochus hoc etiam Sacramentum constare ex materia, & forma: Hanc esse solemnem precationem, qua Sacerdos ad singulas unctiones utitur; illam verò esse oleum ex olivarum baccis expressum, & ab Episcopo consecratum.

Unctionem olei adhiberi ex significatione, quod Anima per-

perfundatur gratia Spiritus Sancti, hæcque inservire ad peccata, peccatorumvè reliquias abstergendas. Formam per modum precationis pronunciari; ut denotetur ex sola Dei misericordia ab Infirmo remissionem peccatorum expectandam. Crucem in Unctione imprimi, ut sciamus hæc dona nobis concedi ex solis meritis Passionis Christi.

Solum Sacerdotem ritè initiatum esse hujus Sacramenti Ministrum, & ex Sacris Canonibus proprio tantùm Parocho administrationem permitti, aut alteri, cui Nos (vel Parochus ipse) facultatem ex causa dederimus. Fructus, seù utilitates ex participatione hujus Sacramenti plures esse, scilicet peccata, vel peccatorum reliquias tollere, sanitatemque corporis impartiri quoties hæc sanitati Animæ expediat.

TITULUS SEPTIMUS.

De Sacramento Ordinis.

§. I.

IN messe multa plures, & boni desiderantur cultores. Christi fidelium partes sunt Deum obsecrare, ut ipse, qui est Dominus messis, dignos mittat operarios in vineam suam: Nostræque erunt cautè agere circa manuum impositionem juxtà Apostoli præceptum: *Nemini citò manus imponas*, & Sac. Tridentini Concilii monita, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, honores, doctrinam, & fidem diligenter investigare, & examinare, ut Catholicam Ecclesiam ministrorum gravitas, & integritas decoret. Tales profectò in hac nostra Diœcesi, quantum humana permittit fragilitas, Nos eligere cupientes, hæc quæ sequuntur, strictè observari mandamus.

Parochi omnes Dominico die, qui quatuor jejuniorum tempora sacræ Ordinationi proximè antecedit, intra, vel extra Ecclesiæ parietes, Populo præsente, Litanias recitent, ac supplicationes religiosè habeant, quibus suffragiis adju-

ti, iis tantum ordines conferamus, qui vitæ integritate, & Christianis Virtutibus sibi, ac aliis proficiant.

Studeant quamplurimos Pueros bona indole præditos, & bonæ expectationis nota insignitos, ad Ecclesiasticæ vitæ normam pro multiplici Ecclesiasticæ Monarchiæ ministerio erudire; eosque tàm ante Clericalem Tonsuram, quàm ea suscepta, optimis moribus, & clericalibus functionibus instruere.

Et quoniam ex multis Conciliorum textibus invigilandum est in electione illorum, qui adscribendi sunt Ecclesiasticæ militiæ, ut in Deo ad Ordines Clericatus promoveantur; Sacro, & œcumenico Concilio Tridentino, nec non menti Innocentii XI. inhærentes nolumus admittere nisi qui Deo inservire statuunt, & bonitate, ac Doctrina fulgere multò ante probatum est.

Cùm igitur initiari volunt justificent, an sint subditi nostræ Diœcesis, vel origine, vel domicilio, vel beneficio, anvè nulla tacti criminalitate semper optimos habuerint mores, diùque scholas Doctrinæ Christianæ frequentaverint, sicuti per Edictum nostrum indiximus.

§. II.

PRomovendi ad Subdiaconatum nostrum Seminarium petant, in quo per aliquot menses, prout Nobis placuerit immorentur, ad hoc enim illùd in ampliorem formam redegimus, ut ibi singuli probentur, an spiritu Ecclesiasticorum caleant, atque etiam an juxta Alexandri VII. & Innocentii XI. mentem Exercitiis Spiritualibus se dederint, in quibus quantum profecerint tùm à Nobis, tùm à Nostris Examinatoribus erunt interrogandi.

Et nè ullus Clericorum mendicare cogatur, vel ad Beneficium à Nobis approbetur, vel Patrimonium habeat, seù titulum, unde sufficienter vivere possit, sitque ad minus annui redditus scutorum triginta sex, vel saltem ostendat, se habere Beneficium simplex, seù Pensionem, hancque pacificè possidere. Patrimonium omninò sit verum, & reale, non autem comentitium, seù fiduciarium, adeò ut si quis promove-

moveri ſtudeat cum ficto Patrimonii redditu, noſcat ſe inci- diſſe in ſuſpenſionis pœnam Summo Pontifici reſervatam, ut eſt videre in una ex Conſtitutionibus Urbani VIII.

Patrimonium numquam permutari, alienari, gravarivè poſ- ſit, niſi prius Nobis conſtet Ordinatum aliundè habere, un- de vivere poſſit, alias quicquid factum fuerit, irritum decla- retur. Immò ad tollendas fraudes, Inſtrumenta Patrimonio- rum ſtipulentur à Cancellario Curiæ noſtræ Epiſcopalis coram Vicario Generali, qui examinabit Viros fide dignos cum iu- ramento: Num ſcilicet Bona verè donantis quietè, & pacifi- cè poſſideantur; num ad Clerici vitam honeſtè ſubſtentan- dam ſufficiant; num alia bona pro donantis ſubſtentatione remaneant; ſimulque exiget fidejuſſionem pro caſu evictio- nis, & ab ordinando ſponſionem, ſe quod ſibi donatum eſt non ſine noſtra licentia retroceſſurum.

Omnia Patrimonia non modo in ſubdiaconatu ſuſcipien- do, verum etiam cum ad reliquos ſacros Ordines promoven- di erunt, publicentur duobus diebus feſtiſante, vel poſt Miſ- ſæ ſolemnia, qua publicatione, & deputatione reſpectivè Pa- trimoniorum ſecuta, nil audeant communitates circa Colle- ctas circa ipſa arbitrari.

§. III.

NOn admittantur ad primam Tonſuram, & ulteriores ordines illegitimè nati, inſigniter deformes, perjuri, ebrioſi, impudici, & quicumque infamia notati ſunt. In iis verò, qui ordinibus initiantur ſpatium obſervetur ætatis à Concilio Tridentino præſcriptum; atque ſemper ſerventur ea, quæ in Noſtro Edicto ſervanda decrevimus, quæque in Re- gularum Seminarii libro dedimus.

Nullus quacumque ex cauſa audeat extra Diœceſim ali- quem ordinem ſuſcipere ſine Litteris noſtris Dimiſſorialibus, ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio ordinum ipſo facto incur- renda. Promotus verò ab Epiſcopo extraneo cum noſtris Di- miſſorialibus Litteris, oſtendat intra Menſem Curiæ noſtræ ſuſcepti ordinis Litteras Teſtimoniales.

Non ſecuta deputatione Eccleſiæ, cujus ſervitio ordinatus adſcri-

adſcribi debebat, Cathedralis in Civitate, matrix in Diœceſi deſtinata intelligatur.

Regulares habitantes in noſtra Diœceſi, quoties Nos ordinationem habituri ſumus, alium Epiſcopum non adeant, nec ſuperiores ipſorum Dimiſſoriales concedant ſub pœnis à Sacra Congregatione Concilii ſtatutis.

Promoti ad Ordines Minores, ſive etiam ad primam Tonſuram, niſi inceſſerint cum habitu clericali, non gaudebunt privilegio fori, neque ad ulteriores Ordines promovebuntur, à qua promotione etiam excludi volumus, niſi per ſex menſes continuos præſtiterint auxilium in docendo Doctrinam Chriſtianam. Nullum item abſque ullo delectu, aut exceptione perſonarum admittemus ad ſacros Ordines, niſi peractis per decem dies exercitiis ſpiritualibus in quolibet ordine ad formam Bullæ Alexandri VII. & Innocentii XI. & hæc exercitia fiant, vel in Seminario noſtro, vel alibi, prout Nobis videbitur.

Examinatores vocatos pro recognoſcenda Promovendorum habilitate, & ingenio, in Domino monemus, quod abſque ullo humano reſpectu ſive neceſſitudinis, ſive commendationis ſincerè, & fideliter examen eorum faciant ad ſolius Dei honorem, & Eccleſiæ utilitatem, nec aliquid vel ante, vel poſt diſcuſſionem requiſitorum à promovendis directè, vel indirectè recipiant; aliàs in Simoniacæ labis pœnam ſe incurriſſe ſciant.

§. IV.

ANtequam exorcizare aliquem quis præſumat, perquirat Energumeni vitam, mores, & actiones; Medicum etiam conſulat, qui judicet, an quod ab illo promanat morbi alicujus vi fiat. Perquirat etiam, an excommunicatus umquam fuerit, anvè abſolutus.

Fiat Exorcizatio tantum in Eccleſia, nec in omni, ſed in conſtituta à Nobis, & in loco ipſius patenti, non tamen in multitudinis conſpectu, nec remotis arbitris, ſed præſentibus viris honeſtioribus, & ætate gravioribus unà ſaltem cum duabus perſonis Eccleſiaſticis, aut comprobatiſſimis fœminis, ſi

H mulie-

mulieri exorcismus sit adhibendus. Numquam fiat exorcizatio post Vesperas, vel ante Solis ortum; non bini exorcizentur, sed singillatim. Exorcista jejunio, & oratione, Confessione, & Missæ sacrificio munitus sit; Energumeni quoque Sacramentis se roborent.

Caveant Exorcistæ, ne Mulieris Energumenæ capiti, vel corpori, nisi cum ingenti cautione, manus admoveant, & Ecclesiasticis Exorcismis tantum utantur, scientes nil addi, aut detrahi illis fas esse, atque omnem questum potissimum fugiant. Cum dæmone numquam jocent, neque per modum obsecrationis, vel æquivocationis, sed per modum imperii, & coactionis illum obstringant.

Nemo denique Sacerdos tàm Sæcularis, quàm Regularis munus exorcizandi audeat exercere absque nostra licentia in scriptis obtenta, qua ipsum approbatum declaremus. Parochi quoque in suis Parochiis non exorcizent, neque alios sine præfata licentia exorcizare permittant, sub pœna arbitrio nostro infligenda.

TITULUS OCTAVUS

De Sacramento Matrimonii.

§. I.

S. Jo. Chrysost. hom. 21. in Epist. ad Ephes.

RElicto Parente eó, qui genuit, eo qui aluit, etiam ea, quæ miserè, & cum labore parturivit, illis videlicet desertis, qui tanta beneficia præstiterunt, quibuscum consuetudo tracta est, & adhærere virum illi, quæ antea neque visa sit, neque aliquid commercii cum illa habuerit, atque hanc etiam omnibus præferre, magnum re vera Mysterium est, ineffabilem quamdam sapientiam habens.

S. Aug. lib. 2. de Gen. Idem lib. 16. de Civ. Dei.

Hæc omnia Matrimonium præstat, quo vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas, cum ad propagandæ prolis redigatur honestatem, & ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis.

Verum enimverò Matrimonium cum ipso orbe conditum

ad humani generis propagationem, humanæque ſocietatis conſecutionem, tandem per Adventum Chriſti Domini in Sacramentum elevatum, naturam, & finem ſortitum eſt præſtantiorem. Quod enim antea non alio ſpectabat, quàm ad ſtirpis procreationem, hodie cœleſtibus ditatum muneribus, etiam veri Numinis cultum, & ſtudium refert, ideòque maximum Sacramentum in Chriſto, & Eccleſia ab Apoſtolo nuncupatum eſt.

Edoceant ergo Parochi Populos ſuæ curæ creditos hujus Sacramenti gravitatem, dignitatem, atque utilitatem, monſtrentque motiva ad Matrimonium ineundum, nempè honorem, & gloriam Dei, qui non modicè glorificatur à parentibus liberos multos generantibus, eoſque ſic educantibus, ut tandem cœleſtis gloriæ participes, eumdem Deum in omnem æternitatem perfectiſſimè laudent, & ament. Item augmentum Reipublicæ tùm Eccleſiaſticæ, tùm Civilis; quod ſanè totum à generatione, & educatione liberorum pendet, quales enim erunt liberi, tales erunt, & Eccleſiæ Miniſtri, & Magiſtratuum Cives. Tandem ſolatium Parentum, quod non poteſt non eſſe maximum, ſi meminerint, hos ipſos, quos genuerunt, & modo piè educant liberos, forè olim Regni Cœleſtis hæredes, unde Salomon: *Filius ſapiens lætificat Patrem.*

Doceant inſuper ad Matrimonium fauſtè contrahendum media optima eſſe, ſincerum Dei cultum, quo benevolentiæ conjugalis vinculum inſolubile fit: Orationis humilitatem: Domus enim, & divitiæ dantur à Parentibus, à Domino autem uxor prudens, & cum tribulationes carnis, prædicente Apoſtolo ſint habituri, ad has ſuperandas Deo humiliter oportet ſubjici, ejuſque opem jugiter implorare: Venerationem Sanctorum, & præcipuè illorum, qui aliquando Matrimonio juncti cum magna ſanctitate, & concordia vixerunt, uti præ aliis Beatiſſima Virgo, & S. Joſeph fuere. Concordiam animorum, eidem enim Matrimonii jugo ſunt alligati; Curioſitatis devitationem, illius præcipuè, qua ex zelotipiæ ſpiritu alterius conjugis mores, & acta, curioſiùs, quàm par eſt obſervantur. Patientiam in mutuis defectibus juxta Apoſtoli monitum; alter alterius onera portate; ac demum tùm,

Prov. 10. 14.

antequam ad Matrimonio se jungendos accedant, & postquam accesserint Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentorum frequentationem, ut gratiæ, quam sunt accepturi, obicem non ponant, & uberiores ejusdem gratiæ fructus in dies, & annos assequi mereantur.

§. II.

COgnoscat unusquisque Parochorum impedimenta tùm dirimentia, tùm impedientia contractum, quæ quidem passim apud summistas reperiuntur, idque fixum habeat, ejusmodi impedimenta gravissimas ob causas ab Ecclesia constituta, atque adeò diligenter observanda esse, uti clarè indicat Concilium Tridentinum. Similiter, ut sponsi certiorentur singulis annis in prima Dominica Adventus sermonem habeat de temporibus prohibitionis solemnitatum nuptiarum; doceatvè non posse pro libitu connubia iniri, sed solum servatis, quæ præscripta sunt, & signanter necessariam esse Parochi præsentiam, vel alterius Sacerdotis de Episcopi, vel ejusdem Parochi licentia, nec non ad minus duos testes adhibendos esse.

Concil. Trid. sess. 24. c. 3.

Dum sponsorum consensum ad Matrimonium contrahendum Parochus accipit, inquirat, an ipsi sciant fidei rudimenta, Symbolum videlicet Apostolorum, Orationem Dominicam, Decalogi, & Ecclesiæ præcepta, & septem Sacramenta, ad formam nostri Edicti, & si quos inscios invenerit, antequam ad Matrimonii publicationes progrediatur, eos instruere studeat. Similiter admoneat, nè ante Matrimonium legitimè celebratum familiariter unà versentur, à tactibus inhonestis inter se abstineant, & si copulam carnalem hoc tempore habuerint, excommunicationis ipso facto sententia Nobis reservatæ esse innodatos. Doceat tandem eos qua fidelitate simul convivendum, quo studio educanda proles, quavè Charitate familia dirigenda sit. Quod si in diversis Parochiis sponsi inhabitent, in utraque hoc idem servetur, itaut alter Parochus non denunciet, nisi ab altero certior factus de consensu, & institutione illius, qui suæ Curæ subjectus est.

Spon-

Sponſi, & Sponſæ Matrimonium celebraturi non diù immorentur poſt emanatas denunciationes, ne in tentationis laqueum incidant, ſed quamprimum fieri poterit, uti Edicto noſtro ſancitum eſt ſeſe jungant; tempore verò denunciationum liberè non converſentur.

Pro denunciationibus faciendis, fidibus, ſeù atteſtationibus Parochis prohibemus aliquam mercedem etiam ſpontè oblatam accipere. Sicuti quoque in probatione ſtatus liberi, & in examinatione teſtium quoties contrahentes erunt exteri, vel ab hac noſtra Diœceſi diù abſfuerint, exactiſſimè, & adamuſſim obſervari mandamus in exactione mercedum Taxam Innocentianam, quæ de ordine SS. Memoriæ Innocentii XI. emanavit.

Advertant Parochi, quod ſponſa, non per verecundum ſilentium, ſed per explicita verba affirmativè conſenſum præbere debet, atque illius, & ſponſi cognita voluntate, denunciationes conſuetas in tribus diebus feſtivis habebunt, niſi aliter fuerit per Nos ex gravi aliqua cauſa demandatum. Si in diverſis Parœciis contrahentes inhabitent, in utraque trinæ denunciationes ex Ritualis Romani formula præmittantur.

Impedimenta, quæ quis novit, ſecuta publicatione, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ manifeſtet; cui pariter ſubjiciantur, qui malitiosè ad impediendum Matrimonium illa confingent. Si elapſo bimeſtri à die ultimæ denunciationis Matrimonium in faciem Eccleſiæ celebratum non fuerit, expectetur ulterius, quouſque publicationes renoventur. Die ultimæ publicationis nequaquam Matrimonium celebretur, ſed in proximam ad minus protrahatur, ut detur unicuique ad impedimenta detegenda, ſi quæ fuerint, temporis opportunitas.

Certum Domicilium non habentes à Parochis ad Matrimonium contrahendum non admittantur, niſi exhibita facultate à Nobis obtenta; hæcque à noſtræ Curiæ Miniſtris non concedatur, niſi docti de illorum ſtatu libero, vita, & moribus. Item non admittantur Fidei rudimenta ignorantes, & ſuſceptæ Confirmationis teſtimoniales litteras non habentes.

Superſtite conjuge, ſi quis ad ſecundas Nuptias convolaverit, tamquam de fide ſuſpectus Nobis denuncietur, vel ſacro Inquiſitionis Tribunali.

§. III.

§. III.

MAtrimonium interdiù solum, nec umquam privatim, sed in Ecclesia, quacumque nobilitate, & conditione contrahentium non obstante, celebretur. Abusus prosequendi clamoribus, aliisque verbis Viduas, dum ad Ecclesiam Matrimonium contracturæ accedunt, vel dum inde domum revertuntur, omnibus omninò prohibeantur sub pœnis Nostro arbitrio infligendis.

Parochus indutus superpelliceo, & stola, præmisso ad sponsos sermone de vi, ac virtute Sacramenti Matrimonii, pergat ad illos conjungendos; & si in illos interrogando super consensu per verba de præsenti alter ex pudore, vel alia causa non respondeat, differatur Matrimonium ad aliam diem.

Statutis orationibus annulus, quo mulier desponsata est, benedicatur; similiter & sponsi (contrario abusu penitus rejecto) atque eodem tempore Missa, quæ de sponsis est, celebretur, nisi aliàs eodem die ex Ecclesiæ instituto vetitum sit: secus si sponsorum alter, maximè si mulier in primis Nuptiis benedictionem acceperit.

Parochi librum compactum habeant, in quo contracta matrimonia notentur, juxtà formam à Rituali Romano præscriptam; & si aliquando curæ socius, seù adjutor aliquem in matrimonium ex licentia Parochi, vel Nostra conjunxerit, adjungat diem, qua talem facultatem consecutus fuit, ut deinde à Parocho subscribi possit, testando, rem ita se habuisse.

Monemus Parochos, ne qui per sex menses continuos à nostra Diœcesi absfuerint, ad matrimonia contrahenda ullo pacto admittant; immò nec ea in Ecclesiis absque Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis licentia inscriptis obtenta populo denuncient. Id ipsum observent in conjugiis cum viduis contrahendis, quoties obitus alterius extra Diœcesim secutus fuerit, ad quod nulla probabilis mortis conjectura suffragabitur, & si contra factum fuerit severissimè inobedientes plectentur.

§. IV.

§. IV.

CErtiorentur omnes, quod nec à Nostro Vicario Generali, nec à Curiæ nostræ Notariis aliquid erit exigendum pro decretis interponendis super dispensationibus in gradu prohibito petendis, sed gratis omnia esse concedenda: Dispensatio super gradibus prohibitis à Sede Apostolica si fuerit postulata, seu jam obtenta pro executione Nobis commissa, interim sponsi simul non cohabitent, & multò minus contrahant, antequam Nobis, vel nostro Vicario Generali sint litteræ præsentatæ, & Decretum illarum vigore obtentum, aliàs si ipsis non exhibitis contraxerint, vel se carnaliter cognoverint, sciant nova à nobis indigere dispensatione.

Quærant Parochi à vagis Hominibus flagitiosas mulierculas circumducentibus prætensi conjugii testimonium, & si illud exhibere neglexerint per aliquod spatium temporis, non tolerentur in Parochia; immò eorum nomina ad Nos mittantur, ut communi bono prospicientes, eos in nostra Diœcesi commorari non permittamus.

Excommunicationem ipso facto incurrant quicumque sive perniciosis superstitionibus uti præsumpserint ad Matrimonium, ejusque usum impediendum, sive pro hujusmodi maleficiis solvendis superstitiosa Verba, vel aliquid hujusmodi adhibere tentaverit.

Tandem insaniam, & imprudentiam tùm eorum, qui soluti, tùm eorum, qui uxorati concubinas retinere vel domi, vel extra non erubescunt, detestamus, atque speciali Tridentinæ Synodi dispositione flagitiosos hos viros, seù impudicas, & effrenes mulieres, si admonitionibus præmissis à mutua consuetudine non se sejunxerint excommunicationis sententia volumus indispensabiliter compesci.

Clerici quoque fœminam quamcumque suspectam vel domi, vel alibi detinere, & cum ea consuetudinem habere non præsumant, sub pœna privationis tertiæ partis fructuum quorumcumque Beneficiorum Piis locis arbitrio nostro applicandorum si pro prima vice; si pro secunda, medietatis fructuum, & quoque suspensionis ab administratione Beneficiorum;

rum;

rum; & tandem ſi pro tertia, ipſorummet Beneficiorum, & penſionum quarumcumque Eccleſiaſticarum, nec non inhabilitatis ad alia Beneficia, & penſiones conſequendas, niſi manifeſtæ emendationis ſigna dederint. Si verò fuerint Sacerdotes, quod Deus avertat, tùm carcerationis pœna mulctandi, tùm alia arbitrio noſtro infligenda.

Sæculares autem, qui doloſè curant, ut aliqua nubilis mulier alicui in matrimonium jungatur, cum quo neceſſitudinem fovent, ut ſic poſtea faciliori prætextu etiam cum ea amicitiam poſſint habere, ſint excommunicati. Qui enim audent Sacramento hoc magno tamquam ſacrilego lenocinio uti, haud debent ab Eccleſia pro filiis recognoſci, ſed tamquam impii, & deteſtabiles homines vel expelli, vel puniri.

Abhorreant conjuges cæcitatem illam, qua aliqui permittunt ſuas uxores vel vagari, vel inter converſationes virorum commorari quocumque tempore, loco, atque occaſione. Quamvis enim ſupponendum ſit nullo malo fine hæc fieri, attamen ad ſcandala evitanda, quibus videntes offenduntur; viri ſuas ab iis diſtrahant uxores juxta exhortationem, quam Edicto noſtro ad dilectum Populum Nobis à Deo commiſſum jam dedimus.

DIOE-

DIŒCESANÆ SYNODI ECCLESIÆ ARIMINENSIS

PARS TERTIA

TITULUS PRIMUS

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

§. I.

Uoniam Sacerdotes deſcendens de Cœlo in carne Verbum contrectant manibus, tribuunt populis, in ſeque ſuſcipiunt, & Angelorum ſive adſtantium, ſive miniſtrantium vice funguntur, potius Angelicam, quàm humanam debent converſationem habere. Summa ergo veneratione ibi aſſiſtant Sacerdotes, quibus conſecrandi poteſtas, atque intercedendi pro populo eſt impenſa authoritas; etenim Sacrificium Miſſæ, quod peragunt, *infinitus eſt theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei*. Accedat Sacerdos ad Altaris Tribunal ut Chriſtus, aſſiſtat ut Angelus, miniſtret ut Sanctus, Populorum offerat vota ut Pontifex, interpellet pro pace ut Mediator, pro ſe autem exoret ut homo. Agnus enim Dei ibi immolatur, ſanguis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit, & in cratere in noſtram purificationem ex immaculato latere hauritur. Verè unica, & perfecta Hoſtia fide æſtimanda, non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori aſpectu conſideranda.

S. Laur. Juſtin. Serm. de Corp. Chriſti.

Sap. 7. 14.

S. Chryſoſt. Serm. de Euchar.

Dei filius humana carne indutus, postquam sævos cruciatus, ac mortem ipsam pro nostra salute subire dignatus est, maximo huic Beneficio maximum donum addens illud idem sacrificium, quod ipse semel in ara Crucis profuso sanguine peregit, non sua finiri morte passus est, sed usque ad consummationem sæculi in Catholica Ecclesia fieri, renovarique præcepit, sola offerendi ratione diversa, Sacrosancto Tridentino Concilio testante, quia in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, sed incruentè immolatur. Hoc potissimum factum est, ut misericordiam quotidiè à Domino consequamur, gratiamque in auxilio opportuno adinveniamus. Tantum igitur admirabile Mysterium quanta puritate, ac devotione tàm à Ministris, quàm à Christifidelibus concelebrandum facilè quis percipere poterit, quoties recogitet maledictum in Sacris vocari facientem opus Dei negligenter. Idcircò qui ad sacerdotale munus vocantur exhibeant se in omnibus sicut Dei ministros, sintque operarii inconfusibiles, rectèque tractantes Verbum Veritatis.

§. II.

INtereà Nos, renovando quæ aliàs à nostris Prædecessoribus in executionem Sacri Concilii Tridentini statuta sunt, volumus, quód Altaria omnia à Scabelli solo sint altitudinis unius cubiti communis, & duarum ejus tertiarum partium, ejusdemque latitudinis, longitudinis verò cubitorum trium: Quodque in eis nullum adsit foramen, in quo quidquam recondi possit, & si forsan pluribus columnellis suffulta, nil prorsus subter reponatur. Unicuique eorum semper affixum sit pallium, usu pingendi Altaria ad hujusmodi similitudinem omninò rejecto. Cancello saltem ligneo sepiantur, ac in tali distantia, ut sit locus commodus Clerico ministranti. Peracto Missæ sacro tela cærulea, seu viridi ad mappas à sordibus conservandas operiantur.

Mensa Altaris Majoris, si possibile est, ex unico sit lapide, sin minus, latitudinis saltem unius cubiti; longitudinis verò, quæ ipsum Altare adæquet. Quod si præ inopia nec etiam similis longitudinis haberi possit; adhibeatur Altare portatile

lon-

longitudinis duarum tertiarum unius communis cubiti, latitudinis verò unius dimidiati. Scabellum ligneum apponatur à fronte Altaris latitudinis unius cubiti, & quinque octavarum partium. Mensa Altaris consecrata tela concerata tegatur, & si petra sacrata tantùm in ea sit incerata ipsa solùm similiter cooperiatur.

Mappæ Altaris, super quo sacrificium peragendum est, tres sint invicem distinctæ, quarum duæ ejusdem erunt longitudinis, & latitudinis, cujus est tota Altaris Mensa; superior verò ita protendatur, ut ne dum eamdem, sed totum ferè utrumque ejus latus tegant. Altaria omnia, quæ non opere fornicato teguntur, Baldachino cooperiantur, idque ex asseribus, & desuper ipsis per totum tela decenter depicta, ut Altare, & Sacerdos ipse ibi sacrum faciens contegantur.

Casulæ sint longitudinis saltem cubitorum duorum communium, qui bracchia dicuntur, & duarum unicarum; stola ejusdem materiæ, & coloris, cujus est casula, longitudinisque saltem cubitorum quatuor, latitudinis verò unciarum duarum, & tertiæ partis alterius unciæ, tribus Crucibus assutis, una scilicet in medio, duabus verò in extremis stolæ partibus. Manipulus sit ex eadem latitudine, longitudine verò unius cubiti, & duarum unciarum cum crucibus eadem ratione, qua stola exornatur. Amictus latitudine cubiti unius, & quinque unciarum, longitudine cubitorum duorum, in cujus summæ partis medio Crux adsit acu picta, non tamen serico elaborata. Corporale saltem longitudine unciarum duodecim, latitudine autem undecim. Bursa ad idem recondendum æquè sit longitudinis, & latitudinis unciarum sex. Linteola, seù sudariola ad manus celebrantis abstergendas sint latitudinis saltem unciarum decem, & longitudinis novem. Pulvinar, quo Missale suffulciatur sit longitudinis unciarum novem, & latitudinis sex.

Vestes supradictæ, & alia ornamenta Missæ sacrificio, aliisque divinis officiis inservientia, non adhibeantur priusquàm solemnibus precibus ab Ecclesia præscriptis sint ab Episcopo benedicta; eisque postea se induens Sacerdos, decorè sibi aptari curabit, & cuncta, quæ de præparatione Missæ præscribuntur, servabit exactissimè.

I 2 §. III.

§. III.

ANtequam Sacerdos ad tam magnum peragendum sacrificium accedat, accuratè in Missali contextum totum celebrandæ Missæ privatim perlegere non omittat. Sacra se Confessione expiet, & coram aliqua pia Imagine, ex iis, quæ in Sacristia asservari solent, se aliquantulum colligat, & quæ tractaturus sit mysteria jugi meditatione consideret.

Expiatis animæ maculis, Corporis etiam, sed præcipuè manuum curam habeat, ut cultum, & munditiem exteriùs referant. Deponat annulum, nisi ejus usum habuerit ex officio dignitatis, ad quam non refertur nec Doctoratus, nec etiam Canonicatus; sicuti quoque pileolum, nisi à Summo Pontifice facultatem obtinuerit; tuncque etiam sciat illum deponere debere à præfatione Missæ usque ad sumptionem sanguinis, & si secus fecerit suspensus remanebit ad arbitrium.

Sacrum facturi semper commoditatem Populi respiciant, & ubi plures Missæ celebrandæ sunt, prima circa Auroram, secunda hora tertia, postrema sub meridie dicatur, reliquæ verò in diebus festivis juxta ordinem in Tabella descriptum. Ubi verò duæ solùm celebrentur, una post aliam non dicatur, nisi intervallo temporis apposito duarum horarum, vel ad minus unius cum dimidia.

Exeuntes ad celebrandum ab omni colloquio abstineant nisi urgentissima causa, incessu gravi, & oculis demissis incedant, neminem salutent, & inter eundum Psalmum aliquem recitent. Si in Altari SS. Eucharistia servetur, aperto capite genuflectant. Missam incipiant, & prosequantur non voce clara nimis, & concita, sed pressiori, sonanti, gravi, & religiosa, seù devota. Missa inchoata cujusvis expectandi gratia ne subsistant, minusvè à principio repetant. Missa quantum fieri potest cum officio conveniat, nec facilè pro cujuscumque arbitrio prætermittatur propter aliam, vel ex devotione, vel ex voto celebrandam. Reddant post sacrum gratiarum actionem, nec ita breviter id faciant, ut non reddere videantur.

Diebus Dominicis per annum, festis duplicibus de præcepto, infrà octavam Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, & Corpo-

ris Christi, Feria quarta Cinerum, quinta, sexta, & Sabato majoris Hebdomadæ; in vigiliis item Nativitatis, & Pentecostes, nè celebrentur Missæ votivæ privatæ, nec de Requiem etiam præsente cadavere. Benè tamen liceat (festis majoribus exceptis) unicam Missam votivam cantare pro re gravi, & publica Ecclesiæ causa, atque eodem modo præsente mortuorum corpore, cantata prius Missa de festo.

Ultra eas Missas, quæ à Sacra Rituum Congregatione sunt approbatæ, nullus neque votivas, neque de Sancto, seù Beato aliquo celebrare audeat. Sicut etiam nec post meridiem, nec ante Auroram, excepta nocte Nativitatis Missæ sunt celebrandæ.

Feria quinta in Cœna Domini, & Sabbato Sancto majoris Hebdomadæ una tantùm in singulis Ecclesiis Missa celebretur, & hæc ritu solemni quoad fieri potest.

§. IV.

CAlleant Sacerdotes adamussim ritus, & cæremonias Missæ, nullusque eorum primam Missam, quam novam nuncupant, celebrare præsumat, nisi prius in Missæ cæremoniis instructus, & examinatus fuerit, habeatque attestationem in Civitate à nostro Præfecto cæremoniarum, in Diœcesi verò ab Archipresbyteris Ecclesiæ Matricis, hancque exhibeat nostro Vicario Generali. Hac occasione, si consuetudo sit, ut oblatio aliqua novo Sacerdoti offeratur, hic sive viris, sive fœminis manum osculandam non porrigat, neque à matre amplecti, aut coronam ex floribus in capite poni patiatur. Nec pariter circumeat Ecclesiam easdem accipiendi causa oblationes, sed prope Altare stet, vel sedeat, illas à sponte offerentibus accepturus.

Sacerdotes exteri, seù vagi non admittantur ad Missæ celebrationem, etiam in Regularium Ecclesiis, absque Curiæ nostræ licentia, quam Vicarius noster Generalis concedat, visis tamen prius propriorum Episcoporum litteris dimissorialibus. In sacristia autem Ecclesiarum ubi celebrabunt scribant ipsimet exteri Sacerdotes proprium Nomen, & cognomen in libro ordinario Missarum. Qui non detulerint habitum, & cle-

clericalem Tonſuram, ſint ſtatim à Miſſæ celebratione ſuſpenſi, & noſtræ Curiæ contumaces..

Obligatus ex ſuſcepto onere certo loco, & ſtatuta die per propriam perſonam ad Miſſarum celebrationem, non alibi, nec alio tempore, nec per alias perſonas celebrentur, aliàs à peccatis ſacramentaliter abſolvi nequeat, impoſita obligatione Parocho, & ſacriſtæ denunciandi inobedientes juxta decretum Eminentiſſimi Sfortiæ.

In Eccleſiis, Oratoriis, Hoſpitalibus, aliiſque locis Piis ſæcularibus ſacrum non fiat, niſi Miſſa Parochiali peracta, impoſita pœna quatuor aureorum contravenientibus, etiamſi celebrans ſit exemptus, quo caſu ſolvatur pœna ab Adminiſtratore, vel ſacriſta, qui conſenſum præſtiterit, permiſeritque, arbitrio Parochi applicanda. Numquam verò in die Cœnæ Domini, & Sancto, comminata aliàs pœna 25. librarum ceræ albæ contra inobedientes, ſodalitati Sanctiſſimi applicandæ.

In iiſdem Eccleſiis oblationes non colligantur, ſecluſo tamen Parochi conſenſu, vel niſi celebret ipſemet Parochus, excepto ſolemni feſto ſodalitatum, dummodò hoc etiam non incidat cum die ſolemnitatis Parochiæ, in cujus confiniis dictæ ſodalitates erectæ ſunt.

In Eccleſiis Parochialibus recipiantur oblationes poſt offertorium à Sacerdote ſtante in imo gradu Altaris ſi fœminæ æquè diſtent, aliàs in confine hominum ſe ponat, vel ubi invaluerit decenter uſus. Oſculanda non exhibeatur Patena, ſed ſacra aliqua Imago. Monemus Parochos, ne novas adinveniant dies oblationum, ne ſæpius, quàm par eſt eas colligant, aliàs ſi ſecus fecerint pœna unius aurei piis uſibus applicandi mulctentur.

§. V.

NUllus ſacerdos admittatur ad faciendum ſacrum tàm in Cathedrali, quàm in aliis Eccleſiis Civitatis, niſi cum veſte talari, & Clericali Tonſura, exceptis tamen quoad talarem veſtem exteris, & Diœceſanis. Similiter Miſſæ ſacrum facienti miniſtrans clericus ſit eadem veſte indutus, atque ſuper-

perpelliceo, quæ Parochus providere teneatur, aliàs in aliena Parochia funeribus, aliisque divinis officiis interesse sibi non liceat.

Sacerdos sacris vestibus indutus Missam facturus, aut faciens, vel etiam peracta de rerum perditarum, vel furto ablatarum, aut cujusvis profanæ, sæcularisve rei negotio ad populum Verba non habeat. Quantum verò ad ea, quæ spectant ad utilitatem, & interesse societatum, præcipuè SS. Sacramenti, & Beatissimæ Virginis de Rosario in sua Ecclesia erectarum, nempè quoad non solventes censuum merita, intortitiorum pretium, possessionum fructus, & hujusmodi, cum hæc attineant ad Altarium, & Ecclesiæ decorem, paululum loquatur, necessitatemque loquendi commonstret ab vigilantiæ obligatione, & impulsu superiorum, quem semper implicitè intelligi volumus.

Cuilibet sacerdoti licitum non sit Missam celebrare in Ecclesiis Monialium, nisi à Confessario ipsarum vocatus, simulque paramenta omnia ab ipso accipiat, nec umquam à Moniali aliqua immediatè petat, aliàs contraventores ad arbitrium punientur.

Intortitia à Testatore eo titulo legata, seù oblata, ut in sancto Ecclesiæ sacrificio accendantur, in alium usum non convertantur contra Testatorum, & offerentium voluntatem, sed statis horis in Altari, vel alibi ardentia collocentur.

Dum Missa celebratur, virum, seù mulierem intra cancellos, quibus capellæ sepiuntur adstare non permittant Parochi, seu Ecclesiarum Sacristæ.

Dum Hostia, & Calix in Missa solemni, seù Parochiali elevantur, campanæ majoris, vel omnium sono Fideles tàm sacro adstantes, quàm extra existentes admoneantur, ut Christi Domini Corporis, & Sanguinis recordatione animum excitent, ac Deo pro tam magno mysterio, & beneficio referant gratias. In aliis Missis privatis ipso elevationis tempore campanula pulsetur, quæ vel à sacristia deferri solet, vel prope Altare collocatur, seù parieti affigitur.

In Altaribus, quæ adeò inter se conjuncta sunt, ut alter sacerdos ab altero concelebrante turbari possit, plures Missæ

uno,

uno, eodemvè tempore non habeantur. Si quis verò habitualiter ità celebret, ut præsenter se gerendo vix impleat horæ quadrantem, pœna suspensionis innodatus remaneat.

§. VI.

IN Ecclesia Cathedrali Liber deinceps perpetuò constituatur, in quo notato prius anno, mense, ac die, unusquisque sive Canonicus, sive Mansionarius, vel Capellanus, qui in eadem Ecclesia sacrum facere debet, simul ac illud perfecerit, manu propria describat, se illud munus præstitisse, quod etiam faciant Dignitates in eadem habentes. Nomina autem aliorum, qui ibi Missam celebraverint, sacrista minor in eodem libro conscribat, dictusque Liber diligenter ab eodem custodiatur.

Parochus festo die non celebret in aliena Ecclesia excepta tamen solemnitate Corporis Christi, aut Sancti Patroni illius Ecclesiæ, & quoties in ea Missæ desiderantur semper tamen in Dominica præcedenti Populum prius admoneat, seù de alio sacerdote suam Ecclesiam provideat, qui Parochi possit supplere vices, imposita pœna suspensionis in contrafacientes.

Missæ duæ Conventuales cum eodem die celebrandæ erunt, ambæ conventualiter celebrentur; & ut omnibus id possit esse manifestum, describantur singulis annis in Tabella dies celebritatum earum, hæque omnium conspectui apponantur. Tabella item conficiatur, in qua onera Missarum uniuscujusque Ecclesiæ appareant, privatis Sacerdotibus incumbentia adnotentur, & publicè in sacrificiis post approbationem exponantur.

Conc. Trid. Sess. 22. de sacr. Missæ & sess. 23. c. 16. de Reform.

In omnibus Ecclesiis memoriæ remittatur observantia Decreti Sacrosancti Concilii Tridentini de observandis, & evitandis in celebratione Missarum, nec non Decretorum generalium, & Nostri, in quibus consultum est abusui circa plenium onerum acceptationem.

Sacr. Cong. 29. Nov. 1670.

Cuilibet Sacerdoti mala fide alicujus Ecclesiæ, Beneficii, vel cujusvis loci Pii bona ultra valorem decem Juliorum occupanti, vel detinenti, quivè si minister alicujus Ecclesiæ fuerit,

rit, rationem administrationis functo officio infra mensem interpellatus reddere non curaverit; Canonicis etiam, qui administrationis bonorum capituli post mensem, ut supra reddere neglexerint, & quod solvere tenentur, quatenus reperti fuerint debitores, intra alios octo dies proximos non solverint, celebratio Missarum sit interdicta.

§. VII.

MOnemus in Domino omnes Sacerdotes, qui quotidie celebrant, ut sæpiùs, vel saltem semel, vel bis in hebdomada peccata sua, licet venialia, confiteantur, ad hoc, ut sine omni labe, sicut oportet se possint exhibere in tanto Ministerio. Matutino, & Laudibus saltem recitatis, ad celebrandum se accingant, prævideant Missam, antequam ad Altare accedant, quæ cum Officio plerumque concordare debet, & signacula suis locis in Missali disponant. Caveant Sacerdotes, sæcularibus negotiis adeò se immisceri, ut sæpius eorumdem causa Missæ sacrificium omittant.

Sacris Vestibus corrosis, laceris, aut maculatis non utantur, sed honestis, & decentibus, ac servatis pro temporis, & Missarum ratione coloribus; Curentque ut Amictus, Albæ, Mappæ, Pallæ, Corporalia, Purificatoria mundissima sint, atque justæ, & adæquatæ magnitudinis, sicuti Calices, & Patenæ nitidæ, & deauratæ, & omnia ad Missæ sacrificium pertinentia talia sint, nè quid exteriùs appareat, quod Populorum devotionem offendat, aut Sacerdotum, & Ministrorum incuriam arguat.

Antequam è Sacristia egrediantur, Hostia munda, abstersis fragmentis, nec proximæ corruptioni obnoxia super Patenam collocetur, & accuratè videatur, an cuncta necessaria parata sint.

Ad minora servitia Parochis, seù Sacerdotibus præstanda obligati, scilicet Campanas pulsare, Urceolos cum pelvicula in Altari collocare, aquam puram, & vinum non acidum, non mucidum, nec ante biduum depromptum parare, cereos suo tempore accendere, Sacerdoti sacras Vestes induenti, & exuenti inservire, ac eidem Missam celebranti intelligibiliter,

& integrè, non verò muſcitanter, & dimidiatè reſpondere, nec ſe deſiderari permittere, aliàs conventa mercede priventur.

Miſſam ſacerdotes dum celebrant ita legant, ut memoriæ parum, vel nihil fidendum ſciant, ſed oculis continuò in Miſſale defixis, ita verba pronuncient, ut quæ audienda à circumſtantibus alta, quæ verò ſecretò dicenda, ſubmiſſa voce, ſed attentè perlegant. Item actiones, geſtuſve gravitate moderata ita peragant, ut nec ad brevitatem cum aliqua verborum mutilatione nimium properent, nec nimia prolixitate (quod hodie refrigeſcente charitate raró evenit) adſtantes tædio afficiant. Hinc pro conſcientiæ tutamine cautum habeant, nè Miſſæ celebratio ultra ſemihoram protrahatur, nec anguſtiùs quadrante cum dimidio terminetur.

Nullus ſub pœna ſuſpenſionis à divinis celebrare audeat in Capellis, Oratoriis, & Eccleſiis pollutis, interdictis, non benedictis, atque à Nobis aliquo modo ſuſpenſis.

§. VIII.

QUoties ſolemni Miſſæ, aut Veſperis, aut alicui ſacræ functioni Nos aſſiſtere contigerit, præcipimus Canonicis, Sacerdotibus, & Clericis omnibus, ut ſuperpelliceo, & bireto à principio uſque in finem interſint induti, & Magiſtri Cœremoniarum ad Nos deferre teneantur nomina illorum, qui negligentes in hoc fuerint.

Rectores Eccleſiarum, qui nullum aliud onus in fundatione earum adjectum, ſeù aliàs ex conſuetudine inductum habent, in feſto Sancti, vel Sanctorum Titularium Miſſam pro anima fundatoris per ſe ipſos, vel ſi legitimè impediti per idoneos ſubſtitutos celebrare non prætermittant.

Sacerdotibus, qui Miſſarum celebrationem ſuſceperunt cum certa Eleemoſyna, quam non inferiorem Julio Romano volumus, ſit prohibitum eaſdem alteri Sacerdoti, retenta parte eleemoſynæ celebrandas committere, aliàs partem retentam pauperibus erogare teneantur. Et ut ſine fraude id impleri poſſit volumus contra eos procedi, & pro adimplemento compelli. Igitur non exigant, niſi unum Julium pro

elee-

eleemosyna singularum Missarum juxta Taxam nostram; quod si quis sacerdos deprehendatur cadere in aliqua culpa fraudolenta Monopolii spiritualis, colligens plures eleemosynas minores, quam assignatæ pro Missis dicendis, nec valeat satisfacere, punietur ad arbitrium, suspensus prius à divinis. Quare in hoc attentos volumus Sacerdotes omnes tàm sæculares, quàm Regulares, nè cadant in tam impiam sacrificii Missæ venalitatem.

Non licet cuicumque Sacerdoti Missam celebranti præsertim à tempore consecrationis usque ad Communionem admittere Clericum secum stantem ad Altare pro substinendo Missali, vel paginis attrectandis, quod tamquam indecorum prohibemus.

Fœminæ non solùm separentur à viris, si possibile est, in Ecclesiis, verùm etiam nec ad Altare propiùs accedant, & multò minùs Clericis se misceant, vacuasque eorum sedes occupent.

Provisum fuit, ne arma deferantur in Ecclesia, attamen, quia sæpe adhùc audivimus talem ordinationem Prædecessorum nostrorum oblivionis prætextu sperni, id totum denuò reiteramus, mandamusque Parochis, ac cuique alteri sacerdoti, quod videntes hujusmodi Personas cum armis stare in Ecclesia abstineant à celebratione, donec ipsa extra Ecclesiam deposuerint.

Pecunias, vel bona mobilia Ecclesiis, seù societatibus acquirenda cum onere perpetuo Missarum mandamus sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ statim deponi, ad hoc ut illæ, vel dictorum bonorum pretium in stabilibus, data opportunitate, investiri queant, de quo tamen prius certiorari volumus, ut cognita utilitate procedi posse permittamus sub pœna ad arbitrium.

Beneficiati, seù Capellani, qui tenentur ad satisfactionem Missarum statutis diebus singulis hebdomadis, vel mensibus, eas pro libito in unam hebdomadam, seù mensem reducere non audeant, sed statuta die celebrent sub pœna trium librarum ceræ piis locis applicandæ toties quoties contravenire reperti fuerint. Hinc Vicarii foranei nostræ Diœcesis librum ordinatum pro annotatione Missarum sæpissimè inspiciant,

deficientes notent, & in fine cujuslibet trimestris Nobis, vel nostro Vicario Generali deferant ad formam Edicti, quo inobedientes debitis pœnis plecti possint.

Tandem ut Populus huic maximo sacrificio singulari pietate, & devotione frequenter intersit, sæpè tam in Doctrinæ Christianæ scholis, quam inter Missarum solemnia, ejus excellentiam, vim, & fructum, ac præcipua Mysteria Parochi declarent. Parentes quoque & Heros admonemus, ut ne dum festis diebus, sed quotidie, si fieri potest, liberos, & famulos ad Missam audiendam admittant, curentque Matres, ut pueri à teneris annis modestè, & silenter, aperto capite, & flexis genibus adstare assuescant.

TITULUS SECUNDUS.

De Processionibus, Expositione SS. Sacramenti, & Oratione quadraginta horarum.

§. I.

S. Jo. Chrysost. hom. 2. in 1. ad Cor. 2. S. Ambros. Tertull. in appoll. c. 39.

PErsæpè Deus quasi pudore commovetur, ait Chrysostomus, cum multitudinem ad precationem concordem, atque conspirantem cernit. Multi enim dum congregantur unanimes magni fiunt, & multorum preces impossibile est non audiri. Propterea congregamur in Processionibus, ut ad invicem inflammemur, atque ad Deum quasi facta manu precationibus ambiamus. Nè igitur sacris hisce solemnitatibus debitus honor deficiat; & ut omnes abusus temporum vitio, & morum pravitate introducti tollantur, sequentes ponimus regulas.

In omnibus Processionibus, sive generalibus, & ordinariis, sive extraordinariis, quæ tamen à nostra Cathedrali inchoentur, quæque omninò Nostra licentia fiant, omnes cleri ordines tàm Sæculares, quàm Regulares conveniant cum propriis Vexillis juxta Civitatis, & Diœcesis consuetudinem, ne-

neque in via publica, aut alibi expectent, ut cum cæteris postea commiſceantur; ſecus compellendi etiam per cenſuras juxtà Decretum Sac. Concilii Tridentini, & Sacræ Congregationis. Etiam Laicorum ſodalitates cum conſuetis vexillis mandamus convenire, atque ad minimum eſſe decem Confratrum binaria volumus, alioquin poſt tres vices ipſe Confraternitates ſupprimantur.

His Proceſſionibus Parochi Civitatis ex Tridentino Concilio intereſſe tenentur; iique locum habere debent immediatè ante Manſionarios Eccleſiæ Cathedralis. Qui citra legitimam cauſam non interfuerint, mulctentur pœna decem aureorum.

Initium Proceſſionum ſemper ab aliqua inchoetur Eccleſia, & per conſuetas vias dirigantur. Cùm verò ad locum, quo Proceſſio dirigitur perventum fuerit, nullus ex Canonicis, aut Clericis diſcedere audeat, ſed Cathedralis Crucem etiam in reditu aſſocient, aliàs tamquam abſentes punctentur ex Decreto Prædeceſſorum noſtrorum. Hoc etiam ſervetur in iis Proceſſionibus, quæ pro tumulandis Defunctorum Cadaveribus fieri ſolent.

Quotieſcumque per Civitatem, ſive Oppida Proceſſiones habendæ ſunt, viæ quantùm fieri poteſt, purgentur, & officinæ occludantur, ante quas tranſeundum erit. Bini ſemper quaſi unitatem, & charitatem referentes procedant, atque Pſalmos, ſeù Litanias, vel alias conſuetas preces piè, ac devotè canant.

Singulæ ſocietates ante Crucis vexillum præmiſſis duobus intortitiis accenſis à duobus fratribus deferendis procedant. Confratres in Eccleſia vocem non elevent ad inchoandas preces de more recitandas, atque in regreſſu cum Eccleſiam ingrediuntur, canere deſinant, nè ſacras perturbent actiones.

Sciant Regulares ſibi non licere extra ſuæ Eccleſiæ ambitum, vel Monaſterii ſepta Proceſſiones facere, etiam privatas propria auctoritate, & à Nobis non obtenta licentia.

§. II.

§. II.

PRoceſſiones, quæ in Feſto, ac per octavam Corporis Domini ex pia inſtitutione peraguntur cum delatione SS. Sacramenti de more tantùm, prout in noſtra Cathedrali conſuevit, fieri volumus. In iis deferendum erit Baldachinum ex damaſceno comparatum, ſimulque laternæ magnæ haſtatæ, atque auro linitæ, & faces plurimæ. Vela item ſerica aureis filis intexta pro ſolemnioribus, ſicut alia non ita pretioſa pro quotidiano uſu inſervientia. Demum Tabernaculum geſtatorium, vulgò oſtenſorium, quod exponendæ, & deferendæ ſimul ſacræ Hoſtiæ uſui inſerviat, perlucido & nitido vitro circumdatum, ut Sacramenti proſpectus non impediatur.

Cantentur hymni cum ſtatis antiphonis, & orationibus, ut in Rituali Romano præſcribitur. Omni ſublata immunditia, & quantùm fieri poteſt, ornatis viis, & parietibus (ſublatis tamen omnibus profanis imaginibus) SS. Sacramentum deferatur, immò ubi commodè poterit etiam ſuperiora pannis extenſis contegantur.

Interſit Generali SS. Sacramenti Proceſſioni univerſus Clerus tùm Sæcularis, tùm Regularis; nec non Laicorum Confraternitates, & quidem ſinguli faces accenſas, ut ex Cœremoniali deferentes. Amoveantur quæcumque ſpectacula, ac etiam ſacræ Repræſentationes. Laudabilis conſuetudo habendi Proceſſiones per totam octavam ſervetur; ſed nec in generali Proceſſione, nec in particularibus umquam puellæ ſanctas repræſentent; Pueri verò tantùm Angelos repræſentent.

Durante ejuſdem ſolemnitatis octava, dum in Cathedrali divina peraguntur officia, exponatur ſuper Altare majus in Oſtenſorio ſacra Hoſtia, coram qua tàm Canonici, quàm Clerici aperto capite ſtent, & canant, atque in actu expoſitionis, & repoſitionis ſint circumſtantes flexis genibus cum facibus accenſis canente Eccleſia preces conſuetas.

Sclopi, Mortariola, & alia hujuſmodi inſtrumenta non explodantur in loco, per quem tranſire debet Proceſſio cum Augu-

Augustissimo Sacramento, prout in Edicto nostro aliàs expressum fuit sub pœnis in eodem contentis.

Feria V. in Cœna Domini, qua Sacra Eucharistia ad sepulchrum deferenda erit, non audeant Regulares, & Saculares Clerici eam extra Ecclesiam asportare. Hostia recondatur in Calice tùm ob repræsentationem Dominici sepulchri, tùm ut postero die commodiùs ad altare deferatur, nec sit necesse de uno in aliud vas transferre.

§. III.

ALiquo solemni apparatu ornetur semper Ecclesia, in qua exponendum erit SS. Eucharistiæ Sacramentum pro Orationibus ordinariis, & recurrentibus, vel etiam extraordinariis; atque in ipsa super Altare majus instruatur alta sedes, in qua Sanctissimum locetur pro tanti Sacramenti Majestate, & honore. Idem locus majori, quo possit luminum apparatu decoretur, & numquam sint pauciora, quam duodecim. In exponenda, & amovenda Sanctissima Eucharistia ad populum cum ea benedicendum, caveant illi, ad quos spectat id facere, nè pedes super Altare ponant, sed modum decentiorem exquirant.

Hujusmodi expositio non fiat absque nostra licentia, nec tàm frequenter, quàm par est, nè populorum veneratio imminuatur. Quod si pietas alicujus, aut gravis aliqua necessitas aliter postulet, & ob distantiam alicujus Pagi Nostræ Diœcesis ad Nos facilè non possit iter haberi pro licentia obtinenda, intra totius anni spatium pro una tantùm vice hæc intelligatur concessa; de cætero Pixis tantummodo velo contexta in ore Tabernaculi collocetur.

Advertant illi, ad quos attinet, nè SS. Sacramenti expositio fiat ante solis ortum, & quòd post ipsius occasum finiatur. Ecclesiæ autem, in quibus eadem expositio in Civitate habenda erit, semper à Nobis designabuntur.

§. IV.

§. IV.

AD orationes quadraginta Horarum, quæ in Oratorio Societatis SS. Sacramenti prope noſtram Cathedralem ſito ſingulis annis in Hebdomada majori fiunt, Clerus tàm Sæcularis, quàm Regularis, omnes Confraternitates, & omnis populus ſub Cruce propriæ Parochiæ ſuis ſtatutis horis proceſſionaliter, & cum diviſione ſexuum veniant, & horæ ſpatio completo eodem ordine ad ſuam regrediantur Eccleſiam.

Caveant Matres, & Nutrices, nè filios, aut pueros, antequam tertium annum ætatis ſuæ expleverint ſecum ad Eccleſias deferant occaſione talis expoſitionis, nè ipſi infantes vagitibus, & ejulatibus fidelium preces ibi orantium impediant. Hinc ſacriſtæ, vel alii ad dictæ Expoſitionis aſſiſtentiam deputati invigilent, nè dicti pueri in Eccleſias introducantur, vel introducti curent ſtatim, ut extrahantur; & Matrum, ſeù Nutricum inobedientium nomina ad Nos deferant, vel ad noſtrum Vicarium Generalem.

Ubi adeſt copia Sacerdotum, aliquis eorum ſuperpelliceo, & ſtola indutus ad SS. Sacramenti cuſtodiam ſemper invigilet, ſi minus Clericus cum ſuperpelliceo, & ſi hic etiam deſideretur, Laicus ſaltem Cappa indutus more Confratrum alicujus ſodalitatis ſemper adſtet, ſed extra presbyterium, ſemperque ad minus duodecim ardeant luminaria, quorum unumquodque cereum ſit.

TITULUS TERTIUS.

De Sacroſanctis Eccleſiis.

§. I.

S. Bernard. apud Manſi tract. 20. diſcurſ. 2. n. 1.

QUis Eccleſiarum parietes ſanctos dicere vereatur, quos manus Sacratæ Pontificum tantis ſanctificavere Myſteriis, atque ex tunc quoque & deinceps inibi lectionum reſultat frequentia, Orationum devota murmurantur ſuſurria,

ſurria, ſanctarum reliquiarum honoratur beata præſentia, Sanctorum ſpirituum indefeſſa noſcitur cuſtodia vigilare, atque venerandum, & tremendum Altaris ſacrificium habetur. *Domos ergo has decet ſanctitudo in longitudinem dierum*; inque eas introire volentes Sapientis ſequantur præceptum: Cuſtodi pedem tuum ingrediens Domum Dei.

Pſal. 92.

Ad noſtri igitur Edicti tenorem Eccleſiarum reverentia apud unumquemque vigeat, timeatque maximo reatu obſtringi, quoties in aliquo defecerit, per quod Majeſtati Divinæ juxta vires proprias venerationem non obtulerit. Hinc hortamur omnes Chriſti fideles, ut tàm in Eccleſiis, quàm in earum Cœmeteriis ea qua decet pietate, & modeſtia morentur; ac etiam Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini auctoritate ſuffulti prohibemus in eis omnes vociferationes, tumultus, deambulationes, & cætera hujuſmodi, ne ibi irritetur Deus, ubi propitium Orationibus, & Sacrificiis jugiter imploramus.

Dum officia divina, Miſſarumque Myſteria peraguntur, atque alio quocumque tempore, ut Domus Dei verè Domus Orationis eſſe videatur, nemo Laicorum hæreat corpore, vel brachiis Altaribus, neque fonti Baptiſmali, neque averſus ab Euchariſtiæ Sacramento ſedeat, aut moretur. Non fiat via communis per Eccleſias, vel tranſitus tàm virorum, quàm mulierum cum ſarcinis, & oneribus ſub pœna à nobis infligenda.

Nullus audeat ingredi Eccleſiam cum ſclopis, aliiſque armis igniariis ſub pœna etiam excommunicationis ipſo facto incurrendæ. Sedilia virorum ſint diſtincta, quantum fieri poteſt, à ſedilibus mulierum. Fœminæ non niſi velato capite, humeris, & ſinu in Eccleſiis appareant. Canes à cuſtodibus arceantur. Et ut Eccleſiaſticæ functiones, & fidelium preces importuna pauperum incurſio, & expoſtulatio non perturbet, ſedulò obſervent Eccleſiarum quicumque Moderatores Conſtitutiones B. Pii V., Innocentii XI., ac etiam edictum SS. D. N. Innocentii XII., noſtrumque pariter, ac proinde Pauperes hujuſmodi circumire non ſinant etiam finitis divinis officiis, ſed jubeant eos ad Eccleſiæ valvas ſubſiſtere.

L §. II.

§. II.

ET quoniam Domus Dei, Domus negotiationis non est, ideò prohibemus sub pœna scutorum vigintiquinque nè in atriis, vestibulis, porticibus, aut Cœmeteriis Ecclesiarum sive festorum solemnia celebrari contingat, sive alio quocumque die res comestibiles vendantur, aliæque merces etiam ad pios usus venales exponantur, vel more nundinarum retineantur vendendæ. Vetamus item supellectilia, aut utensilia domus tàm propriæ, quàm alienæ in Ecclesia reponi; fruges messis, legumina, aliaque hujusmodi recondi, nè sacris prophana immisceantur.

Sicuti etiam maximè improbamus ante ostium Ecclesiarum saltationes, & ludos, vel alia sæcularia diverticula, omnesque commessationes, & compotationes, ac hujusmodi recreationes, præcipuè in Ecclesiis Monialium quocumque prætextu, ac ficta necessitate, etiam januis clausis. Contrafacientes pœna carceris ad mensem punientur; Custodes verò Ecclesiarum id permittentes luent pœnam Nobis arbitrariam.

Ad evitanda omnia scandala volumus Ecclesiarum fores juxtà nostrum Decretum aliàs emanatum ante Auroram, & post Solis occasum esse perpetuò occlusas, neminique ante, vel post dictum tempus pateat aditus, & ingressus sub pœnis nostro arbitrio irrogandis. Quamobrem omnes spirituales exercitationes, quæ in Ecclesiis, seù Oratoriis fiunt, præcipuè ubi Mulieres admittuntur, propè signum salutationis Angelicæ de sero omninò terminentur.

§. III.

QUoniam visum est Nobis, aliquando novas Ecclesias fundari in præjudicium Ecclesiarum Parochialium, quibus Populi frequentia subtrahitur cum animarum detrimento, ideò nullus audeat Ecclesias, Oratoria item, Capellas, seù Altaria de novo erigere, nisi immediatè à Nobis licentiam obtinuerit, & sufficienter dotaverit licet sit Regularis, aut aliàs exemptus. Sicuti quoque in Ecclesiis noviter

viter ædificatis nec Missæ, nec divina officia celebrentur, nisi priùs a Nobis fuerint consecratæ, seù benedictæ.

Mandamus, ne Ecclesiarum custodes quemquam de nocte in iis immorari, vel dormitare permittant, nec super Capellas, in quibus celebratur, sit locus ad dormiendum aptus, aut sæcularis habitatio. Neminem item in Ecclesiis fenestras construere, unde è privatis domibus haberi possit in ipsam Ecclesiam prospectus.

Parietes Ecclesiarum vel Sanctorum imaginibus sint depicti, vel dealbentur, ita tamen, ut Cruces, quæ ad consecrationem illarum indicandam fuerunt depictæ non obliterentur. In cujuscumque Ecclesiæ fronte ponatur imago Sancti illius, in cujus honorem Deo dicata est, vel ad minus ipsius nomen exprimatur.

Prope Ecclesiarum januam vas lapideum, seù æneum collocetur pro aqua benedicta servanda, qua introeuntes uti possint, & hæc semel in hebdomada renovetur.

Sepulchra, quæ per Ecclesiæ solum fodiuntur, ab Altaribus adeò remotè struantur, ut celebrans super ipsorum lapides insistere non cogatur. Mortuorum deposita seù marmorea, seù lateritia imposterum altiùs humò non emineant ex Sacræ Congregationis Decretis.

In Ecclesiarum Cœmeteriis non exerceatur frumenti tritura, vel aliarum rerum, tamquam in area, nec aliquid ibi feratur tamquam in loco campestri.

Meretrices omninò propè Ecclesias non inhabitent sub pœna fustigationis quocumque tempore incurrenda. Item procul ab Ecclesiis sint Tabernæ, stabula, & alia quæcumque loca ad sordidos usus destinata. Perticæ non figantur in muris Ecclesiarum ad vites sustentandas, nec etiam annuli ferrei ad Boves, Equos, cæteraque Animalia alliganda. Prope eas circulatores sua scamna non ponant; personati non subsistant, neque scurrilia vel loquantur, vel cantent.

§. IV.

SUpellectilia ad sacra ministeria non adhibeantur, nisi prius fuerint à Nobis benedicta, neque umquam ad aliud, quàm

ad Ecclesiæ usum applicentur. Quæ verò sunt vetustate corrosa, vel deformiter effracta, omninò suspensa remaneant.

Subsellia, seù scamna ad sacras Conciones audiendas in Ecclesia Cathedrali, atque Plebatis, & Parochialibus disposita de loco non moveantur ab iis, qui eorum dicuntur Domini, absque nostro consensu. Contrafacientes priventur dominio scamni, & omni spe denuò reponendi frustrentur.

Ecclesiæ per vias publicas, & campos constructæ cancellis sint perpetuò obserratæ. Quod si ruinas minentur, censu ipsarum fiat reparatio. Si verò jam sint dirutæ, earum lapides, cæmenta, & tigna ad usus prophanos non convertantur, & Missarum onera, si quæ sint, transferantur in Ecclesias matrices.

Nulla Ecclesia in præjudicium alterius construatur, præcipuè Matricis, à qua volumus cæteras construendas distare saltem spatio unius milliarii, & ultra. Quoties alicujus Ecclesiæ incæpta sit ædificatio, annuente Parocho, mortuo ipso, ulterius non progrediatur, nisi novus Parochus consensum præstiterit.

Cuipiam viro Nobili, Communitati, Testatorumque menti in pagis, oppidis, & villis concessa facultas Oratorii, sive Ecclesiæ erigendæ pro Missæ commoditate, ad removendas justas Parochorum querelas, & effrenandas Deputatorumi, seù Capellanorum imprudentias, dicta Missæ celebrandæ licentia ita sit restricta, ut festis solemnioribus, & omninò diebus Dominicis, privatim in ea sine ulla campanæ pulsatione Missa celebretur, nè populus cui dictis diebus Parochi Evangelium explicare debent, atque vigilias, festa de præcepto, Matrimonia, & alia hujusmodi denunciare, à sua distrahatur Paræcia.

Nullibi Castrorum, seu locorum nostræ Diœcesis erigatur Ecclesia, quæ parum, seù nihil distet à domibus vel Biruvariorum, vel Cursorum, vel Meretricum, vel etiam Cauponum, Laniorum, & aliorum hujusmodi, & quoties in iisdem Castris quatuor, vel quinque familiæ bonæ famæ continuò non habitent, nè facilis banuitis, aliisque noxiis viris constituatur asylus.

Pendeant in omnibus functionibus, & Missarum celebratio-

tionis tempore Ecclesiæ sæculares, & sodalitatum erectæ in nostra Diœcesi à Plebatis, vel Parochialibus, easque ut dominas recognoscant, nec umquam, non peracta Missa Parochiali in eis celebretur. Missa verò Parochialis sit, non quæcumque dicitur in Parochia, sed illa tantùm, quæ à Parocho celebratur, & in qua ipsemet Parochus ad populum verba facit; ante eam si in dictis Ecclesiis celebretur, sint ipso facto interdictæ, & onera Missarum ad Matricem devolvantur.

§. V.

Campanæ nec in Turri collocentur, nec ad Ecclesiasticas functiones adhibeantur, nisi prius fuerint à Nobis, vel ab Abbatibus facultatem nostram habentibus benedictæ, & consecratæ. Statis horis dentur cum ipsis congrua signa pro Missis celebrandis, Concionibus habendis, officiisve canendis; similiter pro salutatione Angelica recitanda sub Auroram, in meridie, & ad solis occasum, atque etiam prima noctis hora pro defunctorum Animabus. Item quoque pro SS. Eucharistia ad infirmos deferenda; nec non ad aeris tempestates, tonitrua, & fulgura pellenda.

Ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis non pulsentur Sabbato Sancto Campanæ quarumcumque Ecclesiarum etiam Regularium ante sonitum Campanæ Cathedralis in Civitate, & Matricis in Diœcesi.

Quoties de manè pulsanda sit Campana ad obitum alicujus Fidelis indicandum, pulsetur per tres vices continuus ad modum sonitus salutationis Angelicæ, illiusque pulsus durent tantùm per unum horæ quadrantem. Quando verò ad Ecclesiam defertur cadaver, tamdiù duret pulsatio, quamdiù durabit processio funebris, & non ultra, nec incipiatur nisi cùm exeunt Pollinctores de domo cum cadavere.

Omnibus campanarum pulsatoribus, etiam Regularium utriusque sexus, sacristis, aut aliis, ad quos spectat, mandamus, ut suarum Ecclesiarum solemnitatum occasione non nisi pridie ante festum ex Decreto nostrorum Prædecessorum, & pœna ad arbitrium Nostrum, campanas pulsare incipiant;

atque

atque id tantùm tribus diei ſtatis temporibus, nempè in aurora, circa meridiem, & ad veſperas poſt ſignum Salutationis Angelicæ, dictaque pulſatio non duret, niſi per unius horæ quadrantem. Idem modus omninò ſervetur etiam à Monialibus, quandocumque ſolemnitates Sancti, vel Sanctæ Titularis ſuarum Eccleſiarum celebrantur. Occaſione verò ingreſſus in Religionem, aut ſolemnis profeſſionis alicujus fœminæ unicum tantùm ſignum detur die antecedenti poſt Veſperas ad diſtinctionem ſolemnitatum Sanctorum, & contrafacientes priventur voce activa, & paſſiva.

TITULUS QUARTUS

De Immunitate Eccleſiaſtica.

§. I.

IMmunitatem Eccleſiaſticam temerare ſacrilegum eſt. Qui enim eam evellere contendit, in Deum inſurgit, & quaſi Numen inacceſſibile in ſervitutem vendicare videtur. Locus enim ſanctis operibus deſtinatus, ſcilicet orationum frequentationi, divinæ laudis dedicationi, & veri ſacrificii oblationi, non niſi ſanctè, & religiosè intrandus, ac tractandus eſt. Nè igitur locum adeò ſanctum, & terribilem quis audeat violare, ſpretis Canonicis ſanctionibus, & Conciliorum œcumenicorum Decretis in favorem libertatis Eccleſiarum editis, atque innovatis à ſacroſancta Tridentina Synodo, ſequentes facimus declarationes.

Omnis, & quæcumque Eccleſia etiam non conſecrata, nec benedicta, auctoritate tamen Epiſcopi fundata, atque erecta, etiam interdicta, ſeù polluta, item quoque Oratoria (exceptis iis, quæ intra domus Laicorum poſita ſunt) Hoſpitalia, Monaſteria tùm Regularium, tùm Monialium, Cœmeteria, Seminaria, & Palatia Epiſcopi etiam ſejuncta à Cathedrali Eccleſia, & alia loca ad Eccleſias pertinentia gaudent Immunitatis privilegio, ità ut confugientes ad ea nullam vim ſive directè, ſivè indirectè pati poſſint.

Hoc

Hoc immunitatis privilegium omnibus Ecclesiæ partibus competit, scilicet tecto, parietibus etiam exterioribus, tum Campanarum, Sacrestiæ, Atrio, & Cœmeterio, sive conjuncto Ecclesiæ, sive ab ea disjuncto. Quod si Ecclesia fuerit Cathedralis, seù Matrix gaudet hoc privilegio etiam extra à muro usque ad quadraginta passus per circuitum, aliæ verò Ecclesiæ minores per triginta; & consequenter domus Canonicorum, Mansionariorum, seù Parochorum existentes intra prædicta confinia, non tamen domus Laicorum.

Omnes fideles cujuscumque conditionis, & ordinis gaudent immunitate Ecclesiastica, nisi fuerint publici Latrones, grassatores viarum, & alii, qui in Bulla Gregorii XIV. hoc privilegio privantur. Gaudet item Judæus, vel Paganus confugiens ad Ecclesiam etiam timore pœnarum, hoc enim immunitatis privilegium non personarum intuitu, sed propter Ecclesiarum honorem, & reverentiam concessum est.

Quoties dubitatur, an Reus in loco sacro ab justitiæ ministris detentus sit, anve immunitate Ecclesiastica gaudeat, definitio ad Nos tantùm spectat, & acta per Judicem laicum omninò sunt invalida.

Criminosum ad Ecclesiam recurrentem toleret Parochus per tres dies, intra quos Nos admoneat, ad hoc, ut præscripta sacræ Congregationis immunitatis serventur.

§. II.

NE jura Dei, & Cæsaris confundantur, non audeat Magistratus sæcularis præbere hospitium militibus in domibus Ecclesiarum, licet locatæ sint Laicis. Item nullus Judex sæcularis præsumat Ecclesiasticas personas ad forum laicale trahere, etiam consentiente reo, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Nobis reservatæ.

Caveant Laicales Potestates, nè Clericos, atque alias quascumque Ecclesiasticas personas gabellarum, & fiscalium functionum oneribus subjiciant. Item deputati ad exactiones nihil ab Ecclesiasticis ratione bonorum, quæ possident, recipiant, vel exigant, nisi Apostolico Diplomate id sit expressum, aliàs sciant se ipso facto esse excommunicatos.

Omnes

Omnes constitutiones, statuta, vel decreta immunitati, seù libertati Ecclesiasticæ contraria, nulla, irrita, & cassa declaramus.

Causas damnorum datorum per Ecclesiasticos, seù per eorum animalia, nec non per familiares, ministros, & colonos mensæ Episcopalis nostræ, seù in bonis quibuscumque Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum spectare volumus ad Curiam Episcopalem ex sacræ Congregationis declaratione. Item si Laici, eorumque ministri, & animalia damnificant bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, Curiam nostram procedere volumus tamquam in causis mixti fori.

TITULUS QUINTUS

De Divinis Officiis, Horisque Canonicis.

§. I.

S. Laur. Justin. de perf. grad. c. 12.

DIvina Officia, quæ Domum Dei decent, si fiant in Ecclesiis Charitate ignita, fide plena, intentioni rectæ subnixa, humilitate sociata, à delictorum sordibus impolluta, bonisque operibus decorata, placant Deum, lætificant Angelos, redolent Sanctos, Cœlos penetrant, & postulata facilè reportant. Quapropter ea celebraturi veste talari, & superpelliceo induti Chorum ingrediantur incessu graves, vultu modesti, ac reverentes, locumque suum adeant, distinctè, & composita voce psallant, à quibuscumque colloquiis, & litterarum lectionibus abstineant, pro temporis, ac Officii ratione vel sedeant, vel surgant, vel genuflectant, vel caput inclinent, aut aperiant. Si quis autem in his delinquat pro absente habeatur, & distributiones amittat.

Chori Præfectus, seù Cœremoniarum Magister modestè, & piè corrigat errantes, ita ut circumstantes non offendantur, & si post divina officia id differri possit, differatur. Item

sit

ſit in Sacriſtia affixa Tabella, qua ſingulorum munia per hebdomadam diſtributa indicentur.

Diſtributiones quotidianæ illis ſolùm conferantur, qui verè in Choro divinis interfuerint, vel abſentiæ cauſam legitimam habuerint, nempè infirmitatis, Confeſſionum excipiendarum, & hujuſmodi. Igitur Punctator abſentes omnes, nulla ullius habita ratione, & quavis animi paſſione, vel neceſſitudine poſtpoſita diligenter adnotet.

Tàm Canonici, quàm Manſionarii careant, nè recedant, præcipuè quando recitatur Officium B. Virginis, quæ uti maxima Dei, hominumque Mediatrix ſemper, & ubique colenda eſt, ſin ſecus, punctentur.

Miſſa Conventualis celebretur quandocumque celebranda eſt, præcipuè tempore quadrageſimæ, cæteriſque per annum vigiliis. Inſuper, ſi plures Miſſæ Conventuales ſunt celebrandæ, juxta formam in Rubricis præſcriptam, numquam omittantur.

§. II.

QUoties Miſſa, ſeù Officia divina celebranda ſunt cum cantu muſicali, prohibemus omninò cantus irreligioſos, ſonitus, & cantiunculas theatrales, atque verba omnia, quæ lingua latino-vernacula æquivocationem prophani amoris referant, idque ſtrictiùs inhibemus in Expoſitionibus SS. Sacramenti.

Cantores omnes quacumque cantus excellentia polleant, in divinis laudibus concinendis modeſtè ſeſe contineant, à predictis cantiunculis ſe abſtinendo, aliàs ab Officio canendi in Eccleſiis arceantur. Chori, ubi organa reſonant, præcipuè amovibiles, quos muſici ad canendum conſcendunt, à pavimento Eccleſiæ, ad altitudinem ad minus palmorum ſexdecim eleventur, & omnes tàm amovibiles, quàm ſtabiles ſuos habeant Cancellos, ita ut Cantores audiantur, non inſpiciantur.

§. III.

SCiant omnes Sacerdotes, & Clerici Nostræ Jurisdictioni subjecti se vel ratione sacri ordinis, vel ratione Beneficii teneri sub mortali ad Officium divinum quotidiè persolvendum juxtà præscriptum Breviarii Romani, & Kalendarii Ecclesiæ Ariminensis, quod Nostro jussu editum, ac impressum quotannis est. Beneficium verò obtinentes, si Officium divinum omittant, præter mortale peccatum, etiam ad restitutionem fructuum illius diei respectivè tenentur.

Præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis Sacerdotibus, qui recitare Horas Canonicas communi jure tenentur, ut Kalendarium jussu nostro impressum penès se habeant, sub pœnis arbitrio nostro infligendis, præter eas, quæ in Decretis Sac. Congregationis infliguntur, ut sic unanimes, & uno ore simul omnes, ut ait Apostolus, honorificemus Deum in Sanctis suis. *ad Rom.* 15.

Festum principalis Patroni alicujus particularis loci in toto illo loco celebretur sub ritu duplici primæ classis cum octava. Intra octavam Lectiones primi Nocturni erunt semper de scriptura singulis diebus occurrente, secundi verò, & tertii Nocturni desumentur ex octavario Romano, in quo singulis diebus octavæ ponuntur lectiones. Qui autem Octavarium prædictum non habent, repetant lectiones positas in communi Sanctorum, alioquin Lectiones diei festi reassumant.

TITULUS SEXTUS

De Oratoriis privatis, & Confraternitatibus Laicorum.

§. I.

QUicumque à Summis Pontificibus in propriis domibus facultatem privati Oratorii erigendi obtinuerint, reminiscantur humilitatis, qua Centurio Christum Dominum

minum ſua tecta adire reverebatur, atque ita domi ab omnibus noxiis illis abſtinere nitantur, quæ nimis Deum offendunt, nè bonum obtentum vertatur in malum.

Sint propterea obedientes in exhibendis noſtro Vicario Generali Litteris à Summo Pontifice obtentis, priuſquàm ſacrum fieri in eorum domibus incipiatur, hoc ita enim requirunt Apoſtolicæ Conſtitutiones, & forma conſueta Indultorum; quæ recognitio, atque approbatio reiteranda erit quotieſcumque varietur locus Oratorii.

In his privatis Oratoriis, etiam de Summi Pontificis licentia conſtructis celebrari non liceat in ſolemnioribus feſtis ex Decreto Sac. Congregationis, nempè in feſto Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Annunciationis, & Aſſumptionis B. Virginis, SS. Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum. Nos verò in hac noſtra Synodo prohibemus etiam in Feſto Aſcenſionis, Corporis Chriſti, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, S. Joſeph Sponſi B. V. & Sancti Gaudentii Patroni Principalis noſtræ Diœceſis.

Nemo audeat in privatis Oratoriis Miſſam ſolemnem celebrare, vel etiam cum cantu, ſub pœna Nobis arbitraria. Similiter unica tantùm Miſſa ſingulis diebus celebretur, atque ideò Sacerdotes tùm Sæculares, tùm Regulares non audeant ſub quocumque prætextu, vel privilegiorum, vel exemptionis, poſtquàm Sacerdos aliquis Sacrificium obtulit, aliud offerre.

§. II.

CONfraternitates veluti privatæ Eccleſiæ ſunt, in quibus aliqui licet in ſæculo degant, ut aliqua pietatis nota à cæteris Laicis diſtinguantur, in Domino uniuntur, & colliguntur. Has tamen nolumus erigi, vel inſtitui poſſe abſque noſtro aſſenſu, & antequàm Leges, vel Conſtitutiones conditæ ſint, & approbatæ.

Qui verò in Confraternitate aliqua adſcribitur ſit bonæ exiſtimationis, & vitæ, & fidei rudimenta calleat; qui in Confratres aſſumuntur ante annum decimum ſextum ſuæ ætatis, careant facultate ferendi ſuffragii; quive in vna ſocietate

adſcriptus eſt, nullatenus in alia adſcribatur; cum experientia in dies docuerit, eos, qui ſe pluribus Societatibus, ſeù Congregationibus adſcribi volunt, id feciſſe non ſerviendi cauſa, ſed dominandi. Si ergo aliquis adſcriptus reperiatur, eligat infra Menſem, quam maluerit, aliàs careat in omnibus adminiſtratione, & facultate conveniendi cum cæteris ad negotia Confraternitatum gerenda.

Renuentes Præpoſitis, Prioribus, aliiſve deputatis Miniſtris obedire, & poſt admonitiones nihil proficientes expungantur è Confratrum Catalogo. Saccis induti quoties opus fuerit ad eleemoſynas petendas per civitatem incedere non vereantur.

Dominicis, ac Feſtis ſolemnioribus in unum conveniant recitaturi, vel Officium B. Virginis, vel preces aliquas eorum Inſtituto congruentes, vel ſaltem Roſarium ejuſdem glorioſæ Dei Genitricis. Eligant Sacerdotem aliquem, vel de corpore ſocietatis, vel extra, qui ſit morum, & doctrinæ præclari gravitate præditus à Nobis approbandus, quique eorum actibus, & functionibus ſemper interſit, atque cohortetur, ut Sacramenta frequentent, & Indulgentias conſequantur.

§. III.

CUjuſcumque ſodalitatis convocatio pro rebus domeſticis diſponendis, pro electione ſodalium, pro redditione redditum, & hujuſmodi fiat in Civitate coram Noſtro Vicario Generali, vel Canonico à Nobis deputando, extra Civitatem coram Vicario foraneo, vel Parocho, ſi ita Nobis videbitur. Ad tollendam convocatorum confuſionem, ſtatuimus, ut ſingulis Civitatis Confraternitatibus certus numerus viginti quatuor Confratrum aſſignetur reſpectu eorum, qui in Congregationem, & negotiorum diſpoſitionem habent, iiſque vocem activam, & paſſivam concedimus. Vacante aliquo ex prædictis locis, præferatur, qui antiquior in Congregatione fuerit.

Priores, Adminiſtratores, & officiales eligantur fideles, quique pecunias ſocietatum adminiſtrare debent, non admittantur, niſi exhibito probato Vadimonio juxta canonicas ſanctiones.

ctiones. Librum item procurent notis arithmeticis singulis in paginis signatum, in quo bona tàm mobilia, quàm stabilia, redditus omnes, atque expensæ notentur, illumque in Archivio societatis custodiant. Si quis autem istorum Confraternitatibus sint pecuniarum debitores ob infidelem administrationem, ad nullum officium ampliùs admittatur, nisi debito soluto.

Priores, & Officiales supradicti nihil de rebus gravibus deliberent inconsulto Parocho in Diœcesi, & Confratrum Votis secretis, sub pœna exclusionis ab officio. Redditus, seù bona societatum in alios, quàm in destinatos usus non expendantur; Census, & bona stabilia cujusvis generis non alienentur Nobis inconsultis, aliàs contractus sit nullus, & res in integrum restituatur.

Onera Missarum, & cætera omnia legata à Testatoribus facta describantur in Tabella, quæ pendeat de Oratorii, vel Ecclesiæ parietibus. Curent officiales, ut Missarum obligationibus satisfiat, & cætera, quæ sunt adimplenda exequantur, ac de adimplemento annuatim illi doceantur, qui à Nobis fuerint deputati. Administratores Oeconomi, & alii Officiales Confraternitatum reddant singulis annis intra mensem à fine suæ administrationis rationem sub pœna Nobis arbitraria, & etiam excommunicationis, quoties nimis negligentes deprehendantur.

Ultra annum in Officio, vel munere suo quis remanere, vel confirmari non possit; quare declaramus irritam, & inanem quamcumque confirmationem Prioris, & Officialium, quoties Nobis inconsultis promovebuntur. Qui verò Priores, & Depositarii fuere rationem reddant coram Vicario Generali, vel Foraneo de redditibus, & expensis. Quæritantes intra hebdomadam eleemosynam ii sint, de quorum fidelitate minimè dubium sit. Utensilia sacra, eaque præsertim, quæ ad Altaris ministerium, & cultum ordinata sunt, apud Ecclesiasticas personas, vel Confraternitatis electum Sacerdotem retineantur. Commessationes sumptibus Confraternitatum quovis quæsito colore, & prætextu nullæ habeantur.

§. IV.

§. IV.

IN unaquaque Parochia, si commodè fieri potest, erigatur societas SS. Sacramenti, non obstantibus aliis Confratriis in eadem erectis. Ubi verò jam erecta est, curet ut omnia habeantur necessaria, præcipuè Altaris pallium, casula, & Pluviale albi coloris, ut decentiùs, & ornatiùs Augustissimi Sacramenti Festum celebretur. Item flores, & alia Altaris ornamenta, unà cum Turribulo, & Navicula, atque numerus sufficiens candelarum, & intortitia.

Eleemosynarum distributio cujusvis etiam modicæ quantitatis, ad quas nonnullæ societates tenentur, juxta piam Testatorum voluntatem non fiat, nisi prius per attestationem proprii Parochi constiterit de egestate, & miserrima conditione eorum, quibus subveniendum est.

Parochi nullo modo Confraternitatum bona administrent, sed solum superintendant in messibus, & hujusmodi conservandis, & in loco tuto reponendis, nè Administratorum incuria aliquid patiantur detrimenti, & si aliquem errorem, vel abusum adinvenerint, Nobis aperiant.

TITULUS SEPTIMUS.

De Domibus Hospitalibus, & Monte Pietatis.

§. I.

TAm Domus Hospitales, quàm Montes Pietatis in Pauperum commodum, & usum instituti, & erecti præcipuè fuere. Sunt Nosocomia egenorum, & ægrotantium liberalia subsidia. Sunt orphanotrophia puerorum, ac puellarum Christianæ Charitatis theatra. Sunt denique Montes Pietatis miserabilium Personarum fidele præsidium. Ho-

Horum igitur locorum administratores rapinas non concupiscant, abundantem paupertate, quem oculus Dei respicit, hilari vultu recipiant, & populum pauperem in egestate salvum faciant. Illis enim relictus est pauper, orphano illi sunt adjutores. Sint omnibus omnia, & ut providi, ac prudentes viri ea dirigant diligentia, quam vigilantissimus Paterfamilias in propriis rebus solet adhibere.

Psal. 61.
Eccl. 11. 17.
Psal. 22.
Psal. 9

Volumus propterea, unumquemque eorum in principio regiminis recte, & fideliter se omnia administraturum promittere jurejurando. In peregrinorum Hospitiis vere pauperes recipiat; Gyrovagos, & Nebulones non admittat; Mares à fœminis secernat; Sacerdotesque à cæteris seorsim hospitetur. In Nosocomiis ad usum Infirmorum erectis, Ministri pia, ac sedula commiseratione necessaria quæque ægrotis afferant, nihilque prætermittant ex iis, quæ Medici pro eorum valetudine decreverint. Præ omnibus nullo modo negligant, quæ pertinent ad Animarum salutem. Caveant item, ne valetudinarii ab Hospitali Domo tàm citò dimittantur, ut ipsi in itinere denuò infirmentur.

Nè infantes in Villis, & pagis expositi Parentum inhumanitate omni pietate prorsus destituantur, Parochi curare non renuant, ut deferantur ad piam expositorum Domum in districtus Vicariatus foranei sitam, & ea deficiente ad viciniorem. Pro talis asportationis mercede accipiantur pecuniæ in Capsulis Ecclesiarum, vel societatum oblatæ.

Eligatur Sacerdos, qui Missam festis diebus in loco ad id deputato celebret, sacramenta ministret, in agone degentibus pertinentia ad vitam æternam suggerat, cadavera defunctorum ad sepulchrum societur, & peractis Funeris actionibus, nomen, genus, patriam, diemque obitus in librum referat mortuorum. Ægroti infra biduum postquàm ad Hospitale pervenerint, huic Sacerdoti peccata sua confiteantur, & SS. Eucharistiam sumant.

In Domibus Orphanorum filii pauperum nostræ Diœcesis recipiantur, qui aliundè victitare nequeant. Sint pueri excipiendi ætatis annorum septem ad minus, ad summum decem, & sex. Discoli corrigantur etiam ferula, honesto opificio applicentur, & si fuerint magni ingenii, litteris dent operam.

ram. Diſcant fidei rudimenta ; Miſſæ ſacrificio quotidiè interſint, bis in menſe confiteantur, habileſque communicent.

Si quæ bona tàm ſtabilia, quàm mobilia aliquis ex his pueris poſſidet, ſine diminutione, & detrimento conſerventur, & fructus in pueri uſum, & ſuſtentationem impendantur.

§. II.

HOſpitalium bona non locentur officialibus, vel officialium conſanguineis, neque eorumdem locorum debitoribus, ſub pœna nullitatis locationis. Similiter iiſdem non liceat ſive per ſe, ſive per alium emere fructus, proventus, aut bona Hoſpitalis, in quo munus aliquod actualiter exercent, ſed ea extraneis perſonis, quo majori pretio fieri poteſt vendantur. Omnes, & ſinguli contractus pro indemnitate Hoſpitalium celebrentur mediante Notario, cum debitis clauſulis, ac forma Camerali appoſita.

Adminiſtratores ſingulis annis reddant rationem ſuæ adminiſtrationis noſtris Deputatis, hique in hujuſmodi rationibus exigendis attentè inſpiciant, an aliquis eorum debito ullo adſtringatur, vel doloſè pretia rerum auxerit, vel minuerit.

In Eccleſiis Hoſpitalium, quorum Janua viam publicam non ſpectat, Parochi ab adminiſtrandis Sacramentis abſtineant, hoc enim unicè ſpectat ad Sacerdotem à Nobis Domibus Hoſpitalibus deputatum.

§. III.

QUoad Montem Pietatis Conſtitutioni Pauli V. Pontif Max. inhærentes præcipimus omnibus, & ſingulis Præfectis, Miniſtris, & aliis Adminiſtratoribus pecunias ad prædictum Montem pertinentes in alium uſum nè transferant, quàm in pauperum ſubſidium, & aſſidua diligentia, & fide bona pignori data non perdantur, & illæſa conſerventur, nec pro bonis cuſtodiendis aliud accipiant, quàm id, quod mutuo datum fuerit, & pecuniam exiguam ad eorum mercedem.

Simi-

Similiter Præfectus, seù Præfecti, videlicet, qui recipiunt, & vendunt pignora non admittantur ad hoc munus exercendum, nisi præstita cautione de fideliter administrando, & de ratione annuatim reddenda.

Res pignorandæ ejus sint generis, aut qualitatis, ut venditionis exitum facilè patiantur, nè Mons Pietatis detrimentum ullum sentiat aliquando. Sacra Ecclesiarum supellex, videlicet, Pixides, Missalia, Candelabra, paramenta, & hujusmodi nullo modo accipiantur in pignus absque Nostra licentia in scriptis obtenta.

Pignora oblata à Judæis non recipiantur neque ab Advenis, sed tantùm à Civibus, & nostræ Diœcesis incolis. Similiter rejiciantur pignora illorum, qui in merces pecuniam impendere intendunt, aut in ludo consumere, aut census creare, aut fundos emere, sub pœna amissionis pignoris, & etiam excommunicationis. Item unusquisque caveat, nè pignora, mentito nomine, afferat, & si secus fecerit punietur.

Illis, qui ad sua pignora recuperanda accedentes dixerint se amisisse syngraphas, vulgò *Bolettini*, nullatenus reddi poterunt, nisi unà cum Juramento, & cautione præstita. Bona pignori data, si per biennium redempta non fuerint, venditioni exponantur, præmisso edicto, nulla reservatione, vel respectu habito, eaque publicè plus offerenti vendantur, nè Pauperum egestates vel minimum graventur.

Sub hac eadem Constitutione Pauli V. de Monte Pietatis emanata, ac prohibente, nè pecunias in alios, quàm pauperum usus Ministri retineant, ac disponant, ex Sacræ Congregationis declaratione comprehenduntur etiam Montes frumentarii, & alia quæcumque pro pauperum sublevamine in limine fundationis erecta. Invigilent Vicarii Foranei supra hos Montes, nè Ministri, seù Priores, aut Syndici quid exigant pecuniæ pro assistentia, vel alio quæsito labore ab iis qui frumentum recipiunt, sed curent adamussim observari quicquid in eorum fundatione statutum fuit.

N TI-

TITULUS OCTAVUS

De Rebus Ecclesiasticis non alienandis, eorumque Inventario.

§. I.

Rerum Ecclesiasticarum alienatores animadversionem non effugere Nos docet tùm Evangelicus ille Villicus, qui apud Dominum suum diffamatus est, quòd bona ipsius dissipasset, tùm etiam Ananiæ, & Saphiræ exemplum, qui ob retentam pretii partem, Petro eos catachizante, horrenda morte mulctati sunt. Vivant de Altare, qui Altari serviunt, sed ab injusta Altaris bonorum usurpatione abstineant. Hoc enim prohibent sacrorum Canonum sanctiones, sacrosancti Concilii Tridentini Decretum; Hoc idem Nos quoque vetamus.

Act. 5.

Trid. sess. 22. c. 9. & 11. de Reform.

Bonorum appellatione intelligi declaramus bona stabilia, mobilia pretiosa, se moventia, fructifera, arbores, ac res omnes, quæ servando servari possunt. Piorum locorum vocabulo venire dicimus non solum Ecclesias, Monasteria, & Hospitalia, sed etiam Confraternitates, & Congregationes Laicorum Episcopi authoritate erectas. Istorum omnium Locorum, & Ecclesiarum locationes rerum ultra triennium non fiant, nec etiam anticipata solutione. Prædia vicinis non locentur, nè hac occasione propriorum agrorum fines dilatent; vel si aliter evidens utilitas suadeat, in locationis Apocha tertæ quantitas, & circumstantiæ omnes describantur. Qui verò hujusmodi bona conducere voluerit, idoneum fidejussorem exhibeat, aliàs conductio, seù locatio irrita fit. Si quando verò Piorum locorum bona locanda esse videbuntur, non aliter id fiat, nisi edictis publicè affixis, atque meliorem offerenti conditionem locentur.

Extravag. Ambit.

Ecclesiæ, Monasterii, seù Loci Pii bona, sine nostra, vel

nostri Vicarii Generalis licentia in scriptis obtenta distrahere, permutare, aut quomodolibet obligare sub excommunicationis pœna, ultra nullitatem contractus omninò caveant Clerici, vel Laici cujuscumque sint gradus, aut conditionis. Usurpantes, aut quocumque quæsito colore sive per se, sive per alios indebitè detinentes Ecclesiarum, vel Locorum piorum bona, fructus, & emolumenta, & impedientes quomodolibet, nè dicta bona iis reddantur, ad quos pertinent, noverint se subjacere excommunicationi Bullæ Cœnæ Domini Summo Pontifici reservatæ. Clerici verò talium usurpationum, vel alienationum auctores, vel etiam conniventes, ultra pœnam excommunicationis, Beneficia amittent, & ad quæcumque alia inhabiles evadent.

Quicumque requisitus, vel tamquam testis interrogatus fuerit à Nobis, vel nostro Vicario Generali super evidenti Ecclesiæ alicujus utilitate, quando sine auctoritate Apostolica delegata, sive ordinaria proferre sententiam de alienatione debemus, caveat, nè falsitatem deponat, aut veritatem subticeat, aliàs sit excommunicatus, & ad damni restitutionem, quod Ecclesiæ, vel Loco pio ex eo evenerit, teneatur.

Pecuniarum summæ Ecclesiis, Beneficiis, Capellaniis, ac Locis piis ex quovis Legato, censu extincto, vel aliàs quomodolibet provenientes cum onere reinvestitionis, non liberè solvantur Rectoribus, Beneficiatis, Capellanis, seù Administratoribus, sub pœna reiteratæ solutionis, sed in Monte Pietatis deponantur cum vinculo investimenti faciendi.

Supellex, & Vestes Ecclesiastico Ministerio destinatæ ad prophana non convertantur, nec ullo modo sæcularibus personis accommodentur, maximè pro repræsentationibus, vel Choreis, aliisque ludicris spectaculis; idque strictè mandamus sub pœna ducatorum vigintiquinque Locis piis applicandorum.

§. II.

IN Canonibus, & Laudemiis annuis ab Emphyteutis exigendis, videant Parochi, nè in notandis receptis, solutionibus declarandis, aut exactionibus intermittendis circa di-

rectum Dominium Ecclesiæ pariant in aliquo detrimentum. Caveant Oeconomi, nè in his exigendis se intromittant tempore viduationis Ecclesiæ, cui inserviunt, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ; & quicquid per ipsos temerè factum sit, ad nullitatem redigatur.

Omnes, & singuli hæredes, qui à defunctis Testatoribus legata favore Ecclesiarum, vel Locorum piorum facta solvere tenentur, illicò persolvant, & ultimas disponentium voluntates ad unguem adimpleant.

Parochi in exigendis decimis, illarumvè jure tuendo, nullum præjudicium Ecclesiis inferri patiantur. Sed quidquid de illarum solutione Sacrosancta Tridentina Synodus statuerit populum doceant, atque hortentur debitas decimas integrè persolvere, nè in excommunicationis pœnam incurrant. Quod si aliqua super ipsis lis contingat, decidatur juxtà sacros Canones, & sacræ Congregationis declarationes.

Quod verò attinet ad decimas exigendas, sufficiat trina Parochi monitio, nostra tamen Auctoritate facienda, inter Missarum solemnia, eaque peracta, mandatum relaxetur, absque alia citatione contra non solventes, ex hujus nostræ Diœcesis consuetudine. Prætereà, nè per inscitiam, seù oblivionem decimæ non solvantur, fiat duplex notula, quarum unà servetur in nostra Episcopali Cancellaria, altera verò apud Beneficiatum, & susceptores, & severè puniantur hæredes, qui hanc subtraxerint, vel occultaverint.

§. III.

VAcante aliqua Parochiali Ecclesia in nostra Diœcesi, præcipimus Vicario Foraneo, ut statim ac notitiam vacationis habuerit, eamdem adeat Ecclesiam, & adhibitis aliquibus piis viris, omnium bonorum mobilium, & scripturarum ipsius conficiat inventarium, ejusque copiam ad Nos transmittat. Interim prædicta bona penes aliquem ejusdem Parochiæ fide, & facultatibus idoneum deponat, qui ea successori Parocho fideliter tradat; numquam verò apud Oeconomum, quoties pro Oeconomo eligatur Capellanus, qui mortuo Parocho inserviebat, nè simul cum hæredibus in bo-

na ipsa conspiret. Hoc idem observetur etiam in Civitate per eos, quos ad id muneris delegerimus.

Inventarium conficiant Cathedralis Ecclesiæ Canonici, Archipresbyteri, Parochi, Rectores, Capellani, Oeconomi, Abbatissæ, & quicumque Administratores Hospitalium, Confraternitatum, aliorumve Locorum piorum Præfecti de omnibus bonis stabilibus cum suis confiniis, lateribus, juribus, actionibus, partibus, & etiam de mobilibus, censibus, jurisdictionibus, juribus etiam feudalibus, & emphyteuticis, & de sacra supellectili ad Ecclesias, Sacristias, Capitula, Collegia, Capellas, Altaria, Monasteria, Hospitalia, & hujusmodi spectantibus, idque infra annum fidele, & authenticum Nobis exhibeant. Qui verò tempore Prædecessori Nostri Eminentissimi Gallii jussu confectum adinvenerint, adeat illud, atque in eo quidquid posteà Ecclesiis, vel Locis piis acquisitum fuit adjungant, & si inveniatur aliquid deperditum, vel ab hæredibus defuncti Parochi sublatum, Nobis patefaciant, ut restitutione rei ablatæ inventarium in integrum reponatur.

Tamdem, nè scripturæ ad Ecclesiam quamcumque pertinentes pereant, Archivium ad modum fenestrellæ in Sacristiis, vel aliquo alio aptiori loco construatur, in quo serventur, præcipuè inventarium rerum mobilium, & immobilium Ecclesiæ, Liber solutionum Decimarum, Liber Baptizatorum, Confirmatorum, Mortuorum, & Matrimoniorum, ac denique omnia pertinentia ad jura emphyteutica, ad Census exigendos, permutationes bonorum de Antecessorum nostrorum licentia factas, & alia hujusmodi.

TITU-

TITULUS NONUS

De funeribus, exequiis, & sepulturis.

§. I.

Tob. 1. 15.

2. *Machab.* 12.

E Vita migrantibus religiosè, & piè parentandum est, Exequiis enim quasi ad aliam vitam Defunctum sequimur viventes. Hujus præstantissimæ Charitatis Tobias præbuit exemplum, & vir fortissimus Judas, collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro mortuis sacrificium. Nos propterea cupientes sanctum, & salubre de funeribus institutum retinere, Decreta Prædecessorum nostrorum confirmando, etiam quæ sequuntur observari mandamus, atque ea, quæ in calce præsentis Synodi apponentur.

Sacerdotes, & Clerici in funeribus associandis graviter, & modestè se habeant, decenti, & talari habitu vestiantur, mundis superpelliceis induantur unà cum clerialibus biretis incedant absque pileis, nisi cogente pluvia, & tempore hyemali. Vocati ad funus, ad Ecclesiam Parochialem, intra cujus fines domus Defuncti reperitur, accedant, vel ad domum ipsam, ubi cadaver est excipiendum, singuli feretrum usque ad Ecclesiam comitentur, bini incedant, & à colloquiis abstineant. Iis eleemosynæ funerum non per viam, nec spectante populo, sed exequiis persolutis distribuantur. Taxa pro omni expensa funerum, & exequiarum in fine hujus nostræ Synodi registranda servetur.

Sacerdotibus simplicibus, licet Regularibus, etiamsi Baccalaureis numquam detur eleemosyna, quæ dari solet Magistris Artium, & Doctoribus, sed tamquam cæteri Clerici, & Presbyteri considerentur. Quoties super consueta eleemosyna controversia oriatur, ad tollenda scandala non nisi

post

post defunctorum sepulturam ad Curiam nostram recursus fiat. Funerum impensæ semper persolvantur ab Hæredibus.

In Defunctis humandis semper adsit præsentia Parochi, adeò ut sine propriis Parochi, Crucisque Parochialis interventu corpora Defunctorum per Urbem deferri omninò prohibemus sub pœna ducatorum vigintiquinque infligenda contra Presbyteros associantes. Inanes, & sumptuosæ Funerum pompæ, & longæ per vias circuitiones, cum potiùs vivorum curiositatem moveant, quàm mortuorum solatio inserviant omittantur; & recto tramite, seu per breviorem viam ad Ecclesiam deferantur Cadavera.

Si contingat ad funus alicujus Defuncti Capitulum nostræ Cathedralis vocari, adhùc Crucem Parochialem intervenire volumus, ipsumque Parochum stolam gestare. Ordo verò procedendi per vias hic erit servandus, nempè priùs antecedat Crux Parochiæ, sub qua incedant Sacerdotes vocati à Parocho, deinde Crux Capituli, quam sequantur Mansionarii, & Canonici. Utraque Crux non impediatur à Regularibus, quin ingrediatur in Ecclesias ipsorum juxtà Decreta Sacræ Rituum Congregationis.

§. II.

Miserabilium personarum cadavera, quæ nihil habent, unde humari possint, gratis omninò, etiam Parochorum expensis sepulturæ tradantur. Si quis autem, simulata paupertate, negaverit Parocho eleemosynam pro aliquo sepeliendo, de ipsius domo, vel familia, Funus perficiatur, deinde fiat relatio ad nostrum Vicarium Generalem, ut quod justum erit, hæredes contribuere compellantur.

Cadavera illorum, qui violenta morte perierunt non prius humentur, aut in Ecclesiam deferantur, quàm notum fuerit Parocho, Ministros vel Nostræ, vel Laicalis Curiæ inspexisse Corpora, atque probasse illatæ mortis signa. Si verò ob longam morositatem Ministrorum, corpus inhumatum detineri non possit, sepeliatur. Cadaver numquam deferatur ad Ecclesiam cujuscumque familiæ sit, etiam ex nobilio-

bilioribus ante Solis ortum, vel post ejus occasum, nec etiam ante lapsum vigintiquatuor horarum spatium ab obitu; item nec in Lectica, vel Rheda occultè deducatur, sed publicè cum debitis Ecclesiæ Cæremoniis omnia peragantur. Eorum cadaver, qui improvisa morte correpti fuere, non sepeliatur nisi post horam vigesimam quartam.

§. III.

Ecclesiastica sepultura careat Hæreticus, Schismaticus, publicè Excommunicatus, Interdictus, Usurarius, notorius Raptor, qui non communicaverit in Paschate, & Meretrices, quæ impœnitentes obirent. Pueri, de quibus rationabile dubium est circa materiam, seu formam Baptismi collati, sepeliantur in loco sacro.

Nulli Parochorum liceat cadavera fidelium tumulare, nisi in Ecclesia, & sepultura per ipsos electa, nec pro hujusmodi consensu aliquid exigant. Recusante Ecclesia electa cadaver, recusetur in nostra Curia recusatio, deinde sepeliatur, vel in sepulchro majorum, vel si hoc non extet, in sua Parochia.

Parochus non audeat sub prætextu, quod Defunctus sit exterus exigere pro ejus sepultura nisi quod consuetum est pro Civium cadaveribus. Neque pro iis tumulandis sive sint Civium, sive Exterorum pavimenta Ecclesiarum scindantur; multò minus capsæ, seù conditoria Ecclesiarum, seù Capellarum parietibus adhæreant ex Constitutione B. Pii V.

Corpus illius, qui proprium non habet sepulchrum, vel vivens sibi nullum elegit, in Ecclesia suæ Parochiæ, & non alibi, nisi consentiente Parocho, sepeliatur. Liberam sepulturæ electionem habeant, uti Jura concedunt, uxor inconsulto viro, & filius sine Patris assensu. Si verò uxor viduata marito moriatur, non electa sepultura, ad ultimi prædefuncti conjugis sepulchrum deferatur. Qui ruri manet non animo stationem ibi figendi, ibique decesserit, asportetur, si commodè fieri potest, ad Majorum, vel Parochialis Ecclesiæ sepulturam. Fratres, & Sorores Tertii Ordinis in propriis

Do-

Domibus habitantes liberam habeant eligendæ ſepulturæ facultatem.

Si quis intra fines alienæ Parochiæ occidatur, ejus cadaver ad propriam transferatur, abſque ulla alterius Parochi licentia, ulloque emolumento. Si verò translatio cum funere fiat, tunc liberum ei ſit uti jure ſuo.

Sciant omnes Religioſi tùm Regulares, tùm Sæculares illis prohibitum eſſe aliquos induere, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam non immutent, ſub pœna excommunicationis Summo Pontifici reſervatæ, etiam non ſecuto effectu. Hinc cuicumque Clerico vel ſæculari, vel Regulari dicenti, Ægrotum in Eccleſia ſui, vel ſui ordinis ſepulturam elegiſſe, nulla fides adhibeatur, niſi de hac re teſtes adducat.

Nè in poſterum lis ulla oboriatur pro tumulandis tàm parvulis, quàm adultis, vel id differatur ſub prætextu non ſolutæ eleemoſynæ, quartæ funeralis, & hujuſmodi, ſervetur Taxa in calce hujus noſtræ Synodi poſita, in qua declaramus, quæ ſit eleemoſyna Parochis debita, quæ pro Campana, Cruce, Loculo exhibenda, quæque Pollinctoribus, aliiſque funerum Miniſtris ſolvenda. Interea deleri mandamus abuſum illum auferendi intortitia, quæ Cadaver aſſociantur de una ad aliam Parœciam ſtatim, ac ventum eſt ad confinia illius, in qua ſepeliendum eſt.

TITULUS DECIMUS

De Testamentis, Legatis Piis, & Jurepatronatus.

§. I.

DEfunctorum oblivio facilis, sed in eo facilior, qui propriis commodis inhians, testamenta aliquando simulat ignorare, nè pia legata ad executionem transmittat. Ut igitur Mortuorum animabus, quantum possumus, in his provideamus, volumus, quod Notarii, vel Parochi, vel alii quicumque Legatorum piorum stipulatores, illa Nobis denunciare teneantur, sic enim ad effectum mandare poterimus, quæ ingrati hæredes nescire effingunt.

Parochi quoties Notarii munere funguntur juxtà Sacrorum Canonum permissionem, nè quis occumbat intestatus, confecta Testamenta infra terminum quindecim dierum ad Archivia deferant.

Nemo audeat sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ directè, vel indirectè ægrotos impedire, nè ultimam suam voluntatem aperiant, aut testamentum aliqua ex parte mutent, sive totum irritum faciant, & novum condant; præcipuè in causis piis.

Legata pauperibus in genere sine speciali denominatione personarum ampliùs non convertantur in beneficium fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe ex Constitutione Alexandri VII., sed pauperibus in integrum solvantur iuxta pias Legantium dispositiones; & declaratio quinam sint pauperes spectat ad Episcopum.

§. II.

OMnes Parochi, Sacristæ, & Capellani teneant in Ecclesiis, seù sacristiis Tabellas affixas, prout Nostro Edicto præcepimus, quibus mediantibus possint facillimè hauriri obligationes Legatorum Piorum, nè absolutè fiant in Animarum detrimentum. Et ut altiùs in memoria resideant, singulis tribus anni mensibus denuncientur Vicario foraneo, qui Nos inde certiores faciat de earumdem satisfactione.

Hinc Notarii non audeant sub decem aureorum pœna condere, vel scribere, aut recipere Testamenta, Codicillos, aliasve Testamentarias dispositiones, in quibus Legata Pia, Capellaniarum Institutiones, Puellarum dotes, & huiusmodi notentur, nisi post mensem earumdem rerum notitiam ad nostram Cancellariam detulerint, juxtà Decretum, quod non semel emanare fecimus.

§. III.

JUre Ecclesiarum, & Altarium Parochi non abutantur, nec sibi administrationem aliquam arrogent, sed omnia relinquant Rectoribus, vel Oeconomis à Nobis tempore vacationis deputatis.

Qui Beneficium de propriis bonis fundaverit non audeat se Patronum asserere, nisi sufficienter illud dotaverit: similiter non præsumat Rectorem, seù Capellanum instituere, eligere, seù declarare, nisi infra quatuor menses à die vacationis ipsemet electus, seù nominatus à Curia Nostra approbatus fuerit. Hoc idem servetur etiam si Nominatus, seù institutus sit ab ultimis Testantium Voluntatibus, non enim par est aliquem vocari, vel eligi ad Ecclesiam etiam de novo erigendam Nobis nescientibus, &

aliquando etiam ob juſtas Cauſas renuentibus. Dictam præſentationem teneantur exhibere hæredes defuncti, vel ipſemet Electus ſeſe præſentare intra prædictum temporis ſpatium; quod ſi non fecerint, nominatio omninò ſit nulla.

DIŒCESANÆ SYNODI

ECCLESIÆ ARIMINENSIS

PARS QUARTA

TITULUS PRIMUS

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

§. I.

Ihil honorabilius Sacerdotibus. Eritis mihi Sancti, ait Dominus, quia Sanctus ſum ego, & ſeparavi vos à cæteris populis. Verè veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in Utero Matris incarnatur. Meritò non mortalis quiſpiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creatura, ſed ipſe divinus Paracletus Ordinem hujuſmodi diſpoſuit. Nè igitur in noſtra Diœceſi aurum adeò obrizum obſcuretur, nempè Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas oſtendatur reproba; nè color optimus mutetur, hoc eſt, ille Sanctitatis habitus per terrena, & abjecta opera ad ignominiam deſpectionis veniat; nevè diſperdantur lapides Sanctuarii in capite omnium platearum, ità ut nulla ſit ſæculi actio, quam Sacerdos non adminiſtret, hæc quæ ſequuntur ſtatuenda cenſuimus.

Flavian. epiſt. ad Leon. Pontif. Levit. 20. 26. S. Auguſt. Serm. 2. in Pſal. 37. S. Jo. Chryſoſt. lib. 3. de Sac. c. 3. S. Greg. hom. 17. in Evang.

Nullus habitum clericalem propria auctoritate aſſumere præſumat, niſi obtenta à Nobis licentia. Et ſtatim ac quis ordinem

dinem susceperit, sive Beneficium Ecclesiasticum obtinuerit, sive non, cum habitu Clericali, & tonsura incedat, prout proprium cujusque ordinem decet; tonsura ità deferatur patens, uti ab omnibus conspici possit, vestis verò Clericalis personæ in sacris constitutæ, & Beneficiis potitæ sit talaris, sed personæ non beneficiatæ, & minoribus initiatæ, à forma tradita per Concilium Tridentinum non discedant. Similiter vestis non sit composita ad luxum, sed nec etiam vilis, & sordida, ut non ambitioni, & vanitati, sed necessitati, & honestati inserviat. Tibialia quoque sint violacei, vel alterius coloris, qui ad modestiam inclinet, multa enim, quæ tolerantur in Laicis, damnantur in Clericis.

Singuli quovis Ordine initiati Ecclesiis, quibus sunt adscripti, diligenter inserviant, præcipuè diebus festis, sin minùs operam suam Parocho, ubi opus fuerit, in Ecclesiasticis functionibus præstent, aliter ad ulteriores ordines à Nobis non promovebuntur. Diaconi, & Subdiaconi, qui in Civitate morantur functiones suorum ordinum in Cathedrali Ecclesia exerceant, & præcipuè diebus festis præsto sint ad suum munus implendum, ut Cœremoniarum peritiam valeant acquirere. In omnibus functionibus superpelliceum cum Clericali bireto gerant.

Omnis ad quemcumque Ecclesiasticum ordinem promotus, ac Beneficium, & quemcumque in Ecclesia gradum obtinens, Tonsuram Clericalem ad eam gestet formam, quam ratio sui ordinis postulat, & abraso capillo omnibus sit conspicua; Annulum nemo deferat, nisi illi conveniat vel ex dignitate, vel ex officio.

§. II.

Histrionum, Circulatorum, Chorearum, Comœdiarum venalium, aut alterius prophani spectaculi Clerici non sint spectatores tàm in publicis plateis, quàm in aulis. Tempore Bacchanaliorum personati non audeant incedere sub carceris pœna. Similiter non incursent per Civitatem de nocte ludicra canendo, vel musica instrumenta pulsando, nec alios canentes, vel dicti instrumenta pulsantes audeant

deant concomitari; aliàs ad nostrum arbitrium mulctabuntur.

Clericis omnibus arma quæcumque deferre prohibemus sub pœna scutorum vigintiquinque. Quod si de nostra licentia sclopetum per campos deferant venationis causa, nolumus cum eodem ipsos incedere, cum ad divina celebranda vocati fuerint, vel ad Parochias viciniores, vel ad alias quascumque Ecclesias. Qui verò tormenta ignea tribus palmis breviora deferre ausus fuerit, dabit pœnas de Jure inflictas, & in Edicto contentas. Et si cum vetitis armis quis aliquod commiserit crimen, ultra condignas pœnas ad illas etiam condemnamus, quæ sancitæ sunt contra arma gestantes, quamvis non fuerint comprehensi in ipso delicto.

Omnes Clerici à nimia familiaritate, & consuetudine personarum sæcularium abstineant, nè contemptus, & dedecus in Clericalem statum redundet. Propterea lusus omnes tàm publicos, ac etiam in officinis Laicorum præsertim alearum, & taxillorum, quàm privatos vitent. Ab improborum consuetudine, eorumque præcipuè, qui suspectæ honestatis sunt, abhorreant. Cauponas non intrent, nisi fortè itinerandi gratia. Negotiationibus, seù Mercimoniis non se immisceant, aliàs pœnas dabunt scandalo respondentes.

Nè infatuati pereant, adeò sobria sit alterius sexus frequentatio per Clericos, ut ipsorum cohabitatio cum mulieribus prohibeatur, quæ sunt ancillæ, vel juvenes suspecti nominis, seù famæ. Nemo item Clericorum doceat mulieres, aut puellas legere, scribere, canere, & hujusmodi, nisi priùs à Nobis facultatem docendi impetraverit, & contraventores arbitrio nostro punientur. Insuper eisdem interdicimus artem medendi, Chirurgiam, & Procuratoris, seù Advocati officium exercere, seù alios in ipsis instruere, tàm sub pœna per sacros Canones statuta, quàm à Nobis infligenda; Non suscipiant tutelas, aut curas pupillorum, minorum, & viduarum, nisi impetrata apud Nos facultate; caveantque sæcularibus curis, & negotiis sese immiscere, quæ mentem nimis distrahunt, & ab Ecclesiasticis ministeriis avertunt.

Transacta hora tertia noctis, Clerici nullo modo per Civitatem vagare præsumant, nisi fint Parochi Sacramenta mini-

miniſtraturi, alii verò Sacerdotes, niſi ex aliqua honeſta, gravi, & neceſſaria cauſa, quam poſtero die coram Nobis, vel noſtro Vicario Generali aperient; & tunc clericalem habitum non deponant, nec abſque lumine incedant.

§. III.

OMnes Clerici abſtineant à cultu camporum, & ab omni exercitio mechanico, & arte illiberali, indecorum enim eſt iiſdem manibus ligones, & alia ruſticalia inſtrumenta tractare, quibus quotidie Agni immaculati contrectatio permittitur, ut Sacrorum Canonum ſanctiones declarant. Non tamen illis videtur prohibitum ſedulò curare, ut prædia, & agri ſuorum Beneficiorum ab inquilinis diligenter colantur; Sicuti etiam permittimus recreationis cauſa tudiculis tàm in menſa, quàm humi diſpoſitis, vulgò *al trucco* ludere; item latrunculis, pila palmaria, & hujuſmodi, dummodò abſint rixæ, & verba inhoneſta, ac ludus verſetur inter perſonas ejuſdem conditionis, ſeù inter viros honeſtos.

Vetamus omninò ſub pœna noſtro arbitrio infligenda nè ulli Clericorum diù maneant otioſi, & deſides ſedendo ſuper publica ſcamna Barbitonſorum, vel Aromatariorum, quæ ut plurimum in locis celebrioribus Civitatis poſita ſunt; nè apud ſæculares eorum vileſcat dignitas, debitaque careant reverentia, & obſequio.

Dum divina Officia, vel Miſſæ celebrantur, colloquia alta voce fieri in Sacriſtiis prohibemus, ſicuti etiam omnes altercationes etiam de rebus ſacris, & ad ſtatum Eccleſiaſticorum pertinentes, non raro enim diſtrahi poſſunt tàm ſacrificantes, quàm orantes in Templo.

Sacerdos celebraturus, quoties conſcius fuerit ſibi opus eſſe Sacramentali Confeſſione, ſacris indumentis non veſtiatur, antequàm ſeſe expiaverit à culpis; itemque nullus Confeſſarius aures præbeat ad Confeſſionem audiendam Sacerdotis, qui alba indutus ſit.

Clericorum unuſquiſque humanioribus litteris, & Philoſophiæ pro ætate vacet, atque iis inſtructus à Canonum, Conciliorum, & Theologiæ Moralis ſtudiis non abhorreat,

immò

imò adeò in his se exerceat, ut idoneus animarum Pastor aliquando evadat. Hinc probatos libros apud se habeat, eosque præcipuè, qui statui Clericali conveniunt, nempè librum Sacramentorum, Breviarium, Missale, Rituale, Bibliam Sacram, Concilium Tridentinum, Cathechismum, Synodalia nostra Decreta, & aliqua summistarum opera. Et ut in omnibus sapiens, & intelligens adinveniatur, legat attentè illud Job. *Sapientia ubi invenitur? Et quis est locus intelligentiæ?* quod ipsemet paulò inferiùs explicat. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.*

Iob. 28.

§. IV.

CUM igitur qui ad Clericales gradus ascenderunt, Sacerdotali Charactere veluti Cœlesti stigmate notati, sint Dei Homines, & Virtutibus, Sapientia, atque moribus præfulgentes sint Hominum Dii, ut de hujusmodi Hominibus, & Diis in nostro Clero gaudeamus, eadem, qua Prædecessores Nostri usi sunt industria, & vigilantia, Casuum Conscientiæ Congregationes ab iis fundatas, in quibus Dubia moralia omnibus Parochis proponuntur solvenda, coli, & frequentari per eosdem volumus; quam item obligationem ampliorem fieri intendimus hac nostra Synodo confirmando litteras illas, quas superioribus diebus ad Vicarios foraneos misimus.

Anteactis temporibus Parochorum tantummodò onus erat in hujusmodi Congregationibus sese præsentes exhibere, nunc verò, & in posterum singulis mensibus de more indictis ad easdem veniant, atque responsiones in scriptis etiam exhibeant Sacerdotes cujuscumque sint conditionis, Curati, Oeconomi, Confessarii, Clericique omnes in Sacris constituti; cum enim singuli disponantur ad Deo, & proximo inserviendum, operæ pretium est Moralem Theologiam anticipatè ediscere, & difficultates illas enodare, quæ in foro interno versantibus apprimè fiunt obviæ.

Contra inobedientes pœnam illam pecuniariam trium Juliorum confirmamus, quam Prædecessores Nostri statuere, locis piis, ac etiam Doctrinæ Christianæ scholis applicandorum, hancque extendimus ad omnes Sacerdotes; nam eos,

qui in minoribus sunt constituti, nisi interfuerint, ad ulteriores ordines promovere dedignabimur.

Cum veró scientiæ ornatus ad finem charitatis Clericos perducere debeat, adeò utile recensemus Clericorum unumquemque in spiritu, & Pietate præfulgere, ut propterea Congregationem à Nobis jam erectam singuli frequentent. In ea, uti Nos sæpius locuti sumus, ipsi quoque de rebus ad vitam devotè, religiosèque ducendam spectantibus studiosè loquantur.

TITULUS SECUNDUS

De Capitulo, Canonicis, cæterisque Cathedralis nostræ Ministris.

§. I.

CONsentaneum est, nè qui dignitatibus, & Canonicatus munere in Nostra Cathedrali fulgent aliquid omittant, vel committant, quod ipsos dedeceat, adeò ut cum Salviano conqueri fas sit: Dignitas in indigno, ornamentum in luto. Parum est cæteris Clericis Canonicos dignitate prærordinari, nisi quoque virtutibus præmineant. Eo enim modo, quo Cathedralem Ecclesiam reliquæ veluti sacrarum Cœremoniarum exemplar observant, & sequuntur; Clerici quoque Canonicos veluti morum Ecclesiasticorum speculum intueantur, & imitentur. Ideòque solidam nacti doctrinam, & vitæ integritatem omnes divinorum officiorum functiones ea, qua decet majestate ritè persolvant.

Salvian. lib. 2. ad Eccl. Cath.

Diebus, & horis, quibus ipsi tenentur in choro interesse, vel divina officia peragere, munera sua, qua par est diligentia, & sollicitudine obire studeant, nec umquam à Rubricis Breviarii, Missalis, Cæremonialis Episcoporum, & Pontificalis Romani discedant.

Tabella habeatur ad præscribendas horas juxta vices temporis, quibus debeat Matutino, & aliis horis Canonicis unusquis-

quisque interesse, ad quam Sacrista semper se conformet; quique Matutinum ante horam præscriptam incohaverint, priventur distributione illius diei.

Qui in Choro intersunt, in conspectu Angelorum psallunt Deo, quapropter psallendi ministerium eo adimpleant studio, ut nec nimis festinanter, nec dissona, vel submissa voce recitent, quæ recitare tenentur. Singuli ad proprium stallum accedant, & ab eo non discedant, nec colloquia, risus, ac litterarum lectiones interponant, quibus divinus Psalmorum concentus perturbetur. Nemo putet dum in Choro officium recitatur, se, illud audiendo, satisfacere. Usus vestis talaris, Bireti, & Almuzii tamquam Canonicorum habitus præcipuus in functionibus, & Choro servetur.

Nullus Canonicorum dum Missam celebrat annulo utatur, nec sacras vestes ad Altare induat, seù ministrum habeat ad portandum Calicem, vel eumdem aperiendum, & cooperiendum juxta Decretum Alexandri VII. nisi ex aliqua legitima causa Nobis exposita.

Punctatorem Canonici eligant, qui officium fideliter, & accuratè exequatur; quique habeat librum cartulatum præcipua cura custodiendum, in quo absentes, vel aliter deficientes notare possit, atque punctationem quoties Nobis, vel Canonicis videre placuerit sine mora exhibeat. Ideòque meminerint Canonici se ad personalem residentiam teneri, illumque pro absente haberi, qui neque adversa valetudine impeditur, neque alia legitima ratione.

§. II.

Canonici semel saltem in hebdomada ad proposita negotia discutienda capitulariter uniantur, quæ per suffragia discutiantur; quoties verò hæc tractanda non sint, conveniant saltem de sacris ritibus, & cæremoniis tractaturi. In Capitulo omnia exequantur sine jurgiis, & contentionibus, & postquàm unusquisque suæ mentis sententiam aperuerit, majori parti acquiescat. Capituli initium numquam fiat, nisi schedula præmissa, & Campanæ pulsu. Ut legitimè convo-

catum censeatur, semper duæ saltem partes ejusdem Capituli intersint.

Quoties aliquid tractandum erit, in quo agatur de persona alicujus Canonici, vel ejus Consanguinei usque ad quartum gradum exclusivè, ille tunc temporis exeat, donec de re hujusmodi deliberatum fuerit. Omnes Capituli deliberationes in libro ad hoc deputato, qui Capituli est à secretis describat. Habeat Capitulum in loco congruo, & tuto Armarium, in quo velut in Archivio serventur Index Instrumentorum, Codices, Rationaria, Apochæ, & cæteræ scripturæ ad Ecclesiæ Cathedralis Jura spectantes. Si quis autem scripturas inibi servatas substraxerit, infra tres dies omninò reponat sub pœna excommunicationis, & aliis arbitrio nostro infligendis.

§. III.

EXactores, & Camerarii singulis annis vel coram Capitulo, vel aliis à Capitulo electis rationem reddant suæ administrationis, & quicquid per ipsos solvendum est, solvere non differant, aliàs in pœnas incurrant, quas in superioribus Titulis decrevimus.

Sacrista ornamentum, & munditiem curet Cathedralis Ecclesiæ, & præcipuè illis diebus, qui solemniores dicuntur. Invigilet nè quid desideretur de iis, quæ ad sacrosanctum Missæ sacrificium spectant, ac necessaria sunt. Sacerdotes exteros sive Sæculares, sive Regulares ad celebrationem absque nostra facultate in scriptis obtenta non admittat. Laicos, & præcipuè Mulieres dum Missæ celebrantur extra cancellos contineat.

Magistri Cœremoniarum exactissimè habeant ante oculos, quæ in Cœremoniali præscribuntur, præcipuè ea, quæ sunt a Nobis peragenda in majoribus solemnitatibus, hæcque prevideant sedulò, & accuratè, nè cunctando Ecclesiasticis functionibus adstent, & dirigant. Ut memoriæ succurrant, schedulam conficiant, in qua præstanda paucis adnotent verbis, ita ut in ictu oculi possint intueri, quæ agenda sunt. Quoties-

tiescumque Processiones habentur, curent vias omnes mundari, & obstacula auferri, atque ea omnia præparari, quæ sunt præparanda, ne umquam Laicis intuentibus aliquid desideretur.

Mansionarii quidquid in Choro canere debent præmaturè prævideant, & ordinent, & quoties opus fuerit ad Legile accedant; qui verò officio suo deerit, ea privetur distributione, quæ ad ipsum respectivè pertinet. Pareant item Præfectis Chori, & Cœremoniarum Magistris, & Missam privatam eo tempore, quo recitantur Officia, non celebrent, nisi aliter Cathedralis necessitas, & ordo celebrandi statis horis, seù etiam communis commoditas suadeat, præcipuè quoties plebs numerosa fidelium Missam auditura interfuerit.

Eligatur etiam inter ipsos Punctator, prout de more, qui fideliter munus suum impleat, atque liberum sit Capitulo librum, in quo punctatio notatur, videre quoties libuerit. In Choro omnes Mansionarii utantur veste talari, superpelliceo, & bireto cum signo, per quod à Capellanis cæteris distinguantur, quo deposito pro absentibus habeantur.

Ostiarius, & Clerici coadjutores Sacristæ, Ecclesiam scopis mundare curent singulis hebdomadis, vel quoties opus fuerit, Altaria summa cum diligentia, & munditie custodiant, Lintea, Mappas, Albas, & cætera ornamenta ab omni pulvere, & sorde illæsa conservent, ac sacra supellectilia, quæ dissuta, vel lacerata invenient, opportunè reficienda curent ab iis, quibus Capitulum opus commisit.

Iidem Clerici, dum sacris assistunt, superpelliceo utantur, summo manè in Sacristiam conveniant, modestiam præseferant, inobedientiam caveant, Ecclesiæ partes explorent, præcipuè cum divina officia non recitantur, & tàm Canonici, quàm Mansionarii absentes sunt, nè quid furto subtrahatur, aut nè Loci sanctitas ulla prophana actione violetur.

TITU-

TITULUS TERTIUS.

De Parochis, & eorum officio.

§. I.

S. Jo. Chrys. hom. 10. in 1. ad Tim.
S. Isid. lib. 3. sent. c. 34.

EUm, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis, cæteros veluti stellarum singulos in suo fulgore obscuret. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, ut omnes in illum veluti in exemplar aliquod excellens intueantur. Verum plerique Sacerdotes suæ magis utilitatis causa, quàm gregis, præesse desiderant: nec ut prosint Parochi, vel Præsides fieri cupiunt, sed magis, ut divites fiant, & honorentur, suscipiunt sublimitatis culmen, non pro pastorali regimine, sed pro sola honorifica ambitione, atque abjecto opere dignitatis, solum nominis, vel Parochi, vel Presbyteri appetunt dignitatem. Qui igitur animarum curam in nostra Diœcesi pro Domino adepti fuerint, vel suscepturi sunt, sciant, ideò ad hanc evehi dignitatem, ut errantes doceant, vel consolentur mœstos, vel temporalibus sustentent, vel renitentes ad remedia salutis protrahant. Audiant D. Petri verba: *Pascite, qui in vobis est, Gregem, non coactè, sed spontaneè, secundùm Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

Glos. in Proverb. 11.

1. Petr. 5. 2.

Noverint ergo Parochi adimplere, quæ præscripsimus præcedentibus Titulis, & antequàm Parochiæ sibi commissæ possessionem adipiscantur se committant exercitiis spiritualibus per decem dies, hocque temporis spatio ab omni rerum terrenarum cogitatione segregentur, sedulòque recolant qua Charitate gregem sibi commissum dirigere, quoque exemplo apud plebem suam fulgere debeant.

Sciant boni Pastoris officium esse vigilias noctis super gregem suum custodire, propterea personaliter in suis Ecclesiis resideant sub pœna amissionis fructuum pro rata temporis

absentiæ. Numquam enim sine nostra licentia abesse ultra tres dies permittimus, excepto casu adeò repentino, ut dictam licentiam petere non possint, vel tali impedimento prærepti, ut domum redire nequeant. Resideant ergo singuli Parochi noctu, diùque in suis Paræciis, nec audeant ultra limites earum, vel Diœcesis exire, ad Civitatem singulis diebus accedere, vel alibi otiari sub pœna suspensionis.

In Domibus Parochorum nullæ agantur juvenum utriusque sexus vigiliæ hyberno tempore, nec cœtus eorum congregentur, qui solent ad ludos convenire. Non distrahatur Parochus vel arte Pictoria, seu Cytharistarum, neque ludo litterario convictores pueros mercede facta docendo. Sed Clericos tantùm, vel qui ad Clericalem statum transire cupiunt doceat ea, quæ Ecclesiasticam decent disciplinam, & mores.

§. II.

PArochi diebus festis sacrificent in suis Parochialibus Ecclesiis, & non alibi, & ut grex sibi commissus Ecclesiæ præcepto satisfacere commodè possit, celebrent eo tempore, & hora, qua supra statuimus. In Ecclesiis autem, in quibus duæ, vel plures Missæ habentur, celebrent omninò hora illa, qua frequentior est numerus populi, nè Verbi divini Prædicatione careat. Noverint etiam quibus diebus Missæ sacrificium applicandum sit pro populo juxtà Concilium Tridentinum, & Sacræ Congregationis decreta.

Ægrotantium paternam habeant curam, iisque si pauperes fuerint juxtà Ecclesiarum suarum census succurrant. Videant nè sua incuria, vel absentia Infirmi absque Sacramentis ex hac vita decedant, dumque eos visitant ad toleranda infirmitatis incommoda hortentur, fiduciam, pœnitentiam, & alia ad salutem utilia proponant, eorumque voluntatem ad actum contritionis eliciendum, atque ad amorem, & desiderium SS. Eucharistiæ disponant. Dum Sanctissimum Sacramentum pro Viatico deferunt, observent adamussim ea, quæ præcipiuntur in nostro Edicto de Communione ad Infirmos. In Villis vero, in quibus unica tantum particula, ut plurimum,

mum, defertur, Parochus in reditu exuatur ſuperpelliceo, & ſtola.

Niſi rationabili cauſa excuſentur, numquam Parochi operam ſuam denegent ulli de populo ſibi commiſſo, quoties confiteri, vel communicare voluerit; aliàs in gravis peccati reatum incurrent. Quapropter non ſolum unumquemque facilè audiant, ſed etiam omnes hortentur ad frequentiam Sacramentorum, atque invigilent ſuper iis, qui raró, vel numquam, niſi in Paſchate ad menſam Euchariſticam accedunt.

Ut Parochi facillimè verba habere poſſint ad populum, præcipuè diebus Dominicis, Librum cudi mandavimus cum inſcriptione: *Il Paroco all'Altare*, in quo dicta Evangelii aperiuntur, & morum correctiones, atque moralitates, quibus decet populi adſtantis aures implere, breviter ſuggeruntur. Hinc caveant, nè umquam illa mala reprehendant, quibus aliquis tantùm detinetur, nè audientium obtutus deferantur in illum, & murmur enaſcatur. Studeant etiam, ne nimis invehant pro iis rebus, quæ ad Parochos ſpectant, ſed tantùm ſibi proponant populum à vitiis evocare, & ad morales Virtutes inducere, & Chriſto lucrum faciant.

§. III.

OMnes commeſſationes, convivia, potationes, vana colloquia, venationes, & alia hujuſmodi cum parochianis Curati evitent quantùm poſſibile eſt, nè decorem illum amittant; quem Laici obſervant, & admirantur in Sacerdotibus. Curent quoque ut ab iis abſtineant Capellani illi, quos ad ſuis Eccleſijs ſerviendum, & ſuas vices gerendas ducunt, ſin ſecus vel eos expellant de domo, vel Nobis remittant.

Ut omnis diſſidiorum tollatur occaſio, volumus quoties ad actus Eccleſiaſticos ſpirituales, vel etiam indifferentes tàm in Eccleſia, quàm extra conveniendum ſit, primum locum teneant in noſtra Diœceſi Archipresbyteri in ſuis plebatibus, poſteà ſequantur Parochi, ſeu Archipresbyteri titulares, ſi qui ſunt, juxtà antianitatis ordinem, deinde Vicarii perpetui

tui Rectoralium Ecclesiarum, Capellani curam animarum exercentes, Sacerdotes Confraternitatum, Hospitalium, & Ecclesiarum communitatum, & Oratoriorum, quique nullum habent titulum ultimo loco vel sistant, vel sedeant.

Sedulò investigent, an novi Incolæ suæ Paræciæ moribus Christianis vivant, an verè, vel fictè, & sub colore matrimonii convivant mulieres vagæ cum viris, an sacris locis venerationem impendant, & Sacramenta frequentent. Curent opitulari pauperibus, puellis nubilibus, viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, senio confectis, aliisque personis, nèdum spirituali, sed etiam temporali subsidio indigentibus, & de his omnibus certiores Nos faciant.

Patrum familias officia, præcepta, obligationes quoad filiorum educationem, & correctionem aperiant inter Missarum solemnia, nè vites fructiferæ in prunas, & spinas degenerent, nec umquam desinant Parentes hortari, nè permittant filios inter socios pravos misceri, summuntur enim à conversationibus mores. Ipsi quoque invigilent, nè Adolescentes ad ludos, & alia hujusmodi detrahantur; & qui per ætatem ad maturiorem rationis jussum pervenerint, curet Parochus, ut Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentari incipiant, & assuescant.

Omnibus diebus Dominicis convocet Parochus, post sonitum campanæ, in Ecclesia pueros, & puellas, & rudimentis Doctrinæ Christianæ imbuat, ut aliàs commisimus. Hujus rei causa Catalogum componant, in quo singuli adolescentes, & adolescentulæ notentur ad hoc, ut facilè sit videre quinam sint, qui ad Doctrinam non accedunt, sicque possit admonere parentes, eosque compellere, ut filios mittant. In reliquis observent Parochi, quæ statuimus in Titulo de Doctrina Christiana.

Parochus vocatus ad componenda dissidia, & contentiones inter suæ Paræciæ subditos exortas, studeat opportunis cohortationibus, & paterno affectu componere, & præcipuè submovere rixas inter Sacerdotes, nè populus scandalum patiatur. Doceat eos de omni vexatione, seù gravamine, quod Viduis, pupillis ex defectu tutorum, aut curatorum solet aliquando accidere.

In Dominica præcedente festum SS. Sacramenti hortetur populum, Processioni, & divinis officiis cum magna reverentia, ac devotione interesse, ut Indulgentias à Summis Pontificibus concessas acquirere possit.

Habeat penes se libros, in quibus scribat Matrimonia, & nomina Defunctorum, itemque alios, in quibus notentur Baptizati, & Confirmati. Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum eo decore, & ornatu curet asservari, quo servandum in Titulo de Eucharistia præscripsimus. Consuetudinem recitandi singulis diebus festis in sua Ecclesia Rosarium B. M. V. prosequatur, & omni cura Dei, & Virginis cultum in populo promoveat, & augeat. Ecclesiam eo quo decet cultu, & munditie custodiat, nec patiatur Altaria, quæ habent Patronos condigno ornatu carere.

§. IV.

PRæcipiant Parochi tàm Patribus, quàm Matribus familias, nè permittant mares cum fœminis in eodem lecto dormire postquàm annum attigerint duodecimum, quamvis sint fratres, & Sorores. Iidem item prohibeant nè pueros lactentes inter dormiendum secum in eodem lecto teneant ob suffocationis periculum, & si aliter fecerint absolutionem Sacramentalem denegent, moneantque hanc inobedientiam crimen esse, de quo Nobis absolutio reservatur.

Quoscumque Peccatores publicos intra limites suæ Paræciæ invenerint, arguant, increpent, & obsecrent, juxtà Apostoli præceptum, & si eos videant pertinaces in malo, itaut resipiscere recusent, vel ad Nos deferant, vel de Parochia expellant, nè bonos pravis moribus corrumpant. Numquam Ancillas, quæ non excedunt annum quadragesimum quintum in suis ædibus teneant; quæ verò fuerunt suspectæ honestatis, licet dictum annorum spatium transegerint, sub carceris pœna omninò expellant.

Sine nostra licentia Parochi non exorcizent, neque sine eadem Quæstores intra suæ Paræciæ limites circuire permittant. Aquam lustralem semel in mense saltem renovent.

Fe-

Festum Sancti Titularis majori, qua possit, solemnitate celebrent, tùm Missam solemnem cantando, tùm convocandis vicinis Presbyteris, tùm etiam Plenariam Indulgentiam à Sede Apostolica obtinendo, ut populi habeant, unde fructum, & utilitatem animarum suarum acquirant.

Meminerint Parochi, se ad Jus parochiale, & Jura Ecclesiæ suæ sustinenda obligari, neque sibi licere bona quocumque titulo ad suam Ecclesiam pertinentia alienare, vel commutare absque nostra facultate.

§. V.

CUm primùm aliquis Parochus in morbum inciderit, Curatus propinquior opus, & ministerium suum polliceatur, & morbo ingravescente Vicarium Foraneum in Diœcesi, Nos verò in Civitate de illius ægrotatione commoneat. Mortuo Parocho, ad viciniorem cura, & regimen Parochiæ viduatæ spectet, nisi aliter Nobis placuerit, & Oeconomum etiam in Civitate statuere voluerimus. Omnia paramenta, Vasa sacra, Missalia, Libri, Scripturæ sub fideli custodia serventur, donec exactissimum Inventarium conficiatur.

Sciant hæredes defuncti Rectoris, se teneri ad quamcumque scripturarum, & librorum Ecclesiæ consignationem, si quos habeant, vel repererint inter res domesticas, aliàs excommunicationem ipso facto incurrere, juxtà tenorem Constitutionum Synodalium. Hac eadem Excommunicatione innodati sunt quicumque Parocho laborante morbo læthali, vel post ejus mortem ausi fuerint incidere arbores fructiferas, vel etiam infructiferas, eo anno non incidendas.

TITULUS QUARTUS

De Regularibus, & Exemptis.

§. I.

S.Greg. hom. 2. in Ezech. S.Joan. Clim. grad. 22. & 23. S. Hieron. epist. 27. in epitaph. S. Paulæ. S.Petr.Chrysol. Serm. 12.

Domesticos Dei Religio efficit. Dum in ea aliquis omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit omnipotenti Deo vovit, holocaustum est. Ibi propriarum voluntatum abscissiones Martyribus æquant viros, non solùm enim effusio sanguinis in Martyrio reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum Martyrium est. Religiosorum opes sunt in paupertate, gloria in contemptu, potentia in infirmitate. Hi omnes dum in Carne extra carnem vivunt pro portione Dominum habent, & dum propter Regnum cœleste inopia laborant, propter inopiam regnant. Ubi post cœnobiale propositum fastigia unusquisque nititur sublimioris perfectionis attingere, alius scientiæ floribus exornatur, alius discretionis ratione robustiùs communitur. Alter patientiæ gravitate fundatur, alter continentiæ virtute præfertur, alter simplicitatis gratia decoratur, alter charitatis studio supereminet cæteros.

Cassian. lib. 5. cap. 4.

Verùm quia periclitatur charitas in sæculo nequam, & ut fugiant de medio Babylonis, qui Religioni sese voverunt, sciant Regulares extra claustra degentes, quod quoties in aliquo deliquerint à Nobis irremissibiliter juxtà sacrorum Canonum sanctiones punientur. Qui verò in claustris degentes extra eadem notoriè, & cum scandalo delictum commiserint, nec ab eorum superioribus intra spatium à Nobis præfigendum debitis pœnis affecti fuerint, neque de punitione Nos certiores ii fecerint, pœnam reatus apud Nos dabunt.

Regulares item quotiescumque electum conservatorem non habent juxtà præscriptum Gregorij XV. in omnibus causis civilibus pulsati respondeant coram Nobis tamquam in hoc

ab Apostolica Sede delegatis; quod etiam volumus intelligi ex Concilio Tridentino de illis Regularibus, qui de Superiorum suorum licentia extra claustra vivunt, quamvis Judicem certum à Sede Apostolica in nostra Diœcesi, vel alibi deputatum habeant.

Trid. sess. 7. c. 14. de Reform.

Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Societatis, Congregationis, aut Instituti ad Monasteria Sanctimonialium quamvis ipsis Regularibus subjecta absque nostra licentia in scriptis obtenta non accedant etiam ad colloquendum tantùm per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, sub pœnis excommunicationis, & privationis vocis activæ, & passivæ, juxtà Decreta Sacræ Congregationis Concilii.

§. II.

PRocessionibus tàm solemnibus, quàm iis, quæ à Nobis ob publicam indigentiam, vel ob aliam quamcumque causam institutæ fuerint omnes Regulares, præter exemptos intersint, aliàs sciant compelli posse per Concilii Tridentini Decretum. Festos dies, quos servari à Nobis præceptum fuerit, observent, & in suis Ecclesiis promulgent, præcipuè in quibus extat cura animarum, sicuti etiam excommunicationes, & censuras, quæ vel à Sede Apostolica, vel à Nobis emanaverint.

Trid. sess. 25 de Reg. c. 13

Regulares item Viaticum, & Extremam Unctionem ad Laicos ægrotantes non deferant; sponsos non benedicant; patrini munus non ineant; novas Ecclesias, seù Monasteria non construant, extra Monasterii septa Processiones non peragant; Defunctorum cadavera sine Parochi licentia ad sepulturam non comitentur; sine nostra facultate, & approbatione confessiones non audiant; absque nostra benedictione Conciones non habeant, nec etiam in propria Ecclesia; Sacra Olea, Ecclesiarum Consecrationes, & cætera Pontificalia ab extero Episcopo non petant.

Confessarii Regulares à casuum, & censurarum Nobis reservatarum absolutione abstineant, quocumque privilegio non obstante, qui verò absolverint, excommunicationem

Sum-

TITULUS QUINTUS

De Sanctimonialibus.

§. I.

UNicuique Sanctimonialium in citharis suis ore verè prophetico canere videtur Rex David: *Obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.* Meritò igitur earum Vita secretò absconditur adversùs sæculi confusionem, & sensuum illecebras, ut refugientes corporis voluptatem, animæ fiant Christi; Modica, transitoria, terrena deserunt, maxima, æterna, cœlestia appetunt, & dum nec corda, nec corpora in proprietate habent, non periclitantur in deliciis, nec quid induantur sollicitæ sunt, sed sola pietatis connexione de Religiosa servitute ad felicem, supernamque libertatem aspirant. Optimam partem elegerunt Claustra ingredientes, fugam adornando de medio Babylonis, atque post parietes, & per Cancellos Cœlum aspicientes, securè ipsis sperandum est post hujus Vitæ peregrinationem, supernam intrare Jerusalem.

Psal. 44. 11.

S. Bern. Ep. 114.

Ad hoc igitur ut Sanctimoniales in via perfectionis progrediantur, atque statum impleant, quo possint tamquàm Virgines sponsæ prudenter Deo placere, exercitium spirituale injunctum ab Innocentio XI. adhibeant, ac illud semel saltem in anno per decem dies piè, & devotè ineant, demissa omni alia cogitatione, qua in Deum unicè non dirigantur. Quicquid pariter ad corporis ornatum conducit, omninò nesciant, nè quod sanctæ honestati correspondere debet vel vilescat, vel in animæ reatum degeneret.

Quæcumque Puellæ, quæ educationis gratia in Monasteriis recipiuntur, religiosis Sanctimonialium moribus ea, qua par est spiritus recollectione conformentur, atque utantur vestibus ità modestis, ut vix sæculi aliquid in eis inseratur. Nulla autem earum in eductionem recipiatur, nisi excesserit sep-

timum

timum ætatis annum, & nisi præcedenti licentia tàm sacræ Congregationis, quam nostra.

Abbatissæ, Moniales professæ, Novitiæ, Educandæ, Conversæ, & aliæ quæcumque Mulieres in Monasteriis Monialium degentes non audeant sive per rotas, sive per januas pueros, aut puellas cujusvis ætatis sub quovis prætextu etiam ante septennium intra Monialium claustra introducere sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Item quoque per fenestrellam, quæ ad usum Eucharistiæ adhiberi solet, nihil extrahatur, etiam pro Ecclesiæ servitio, sed semper omninò clausa sit, exceptis horis, quibus Moniales ad Sacram Dei Mensam accedunt.

Moniales pariter, quæ vocaverint extraneos ad colloquium asserentes se habere licentiam pro ipsis, cum re vera non habeant, ipso facto voce activa, & passiva priventur, quæ verò facultatem alloquendi obtinuerint, numquam sub eadem pœna loquantur à cratibus Ecclesiæ, Confessionalibus, aut rotis ibidem positis, Sacristis exceptis, sed tantùm cum Confessario, & Clericis Monialium Ecclesiæ inservientibus.

Nemo absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia præsumat accedere ad colloquendum cum Moniali, vel Novitia, vel etiam Conversa, & Educanda sub pœna Nobis arbitraria. Qui verò sacrilega suadente audacia ausus fuerit de rebus obscænis tàm per verba, aut per actus impudicos, quàm per litteras, præsens, aut absens cum Moniali loqui ipso facto excommunicatione sit innodatus.

Confessarii à Nobis destinati ad audiendas Monialium Confessiones, sciant facultatem, quam habent ingrediendi in Clausuras urgente necessitate ministrandi Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, cum hac restrictione sibi esse concessam, nempè ut semper associentur à duabus senioribus Monialibus, ut recta, & breviori via procedant ad Infirmæ cellullam, utquè audiant Monialis ægrotantis Confessionem janua reserata, & dictis duabus Monialibus extra videntibus, sed non audientibus.

§. II.

§. II.

NUllum Monasterium plures, quàm duas portas habeat, quarum una lignis invehendis, vehiculis, & aliis Monasterii necessariis inserviat, altera verò ad Monialium usus. Fores sint ligneæ, firmis cardinibus commissæ, quæ semper diligenter obserentur duabus clavibus, quarum alteram Abbatissa, alteram verò portarum Præfecta penes se teneat. Præter claves interiores, prædictæ portæ etiam extrinsecus claudantur, claves verò maneant apud domesticum Villicum Monasterii.

Collocutoria, seù cubicula ad audientiam numquam aperiantur, nisi post Solis ortum, semperque claudantur vespertino tempore ad signum Salutationis Angelicæ, quæ etiam toto tempore Adventus, & Quadragesimæ claudi jubemus. Similiter clausa remaneant horis, & tempore, quo Moniales psallunt in Choro, vel Missam audiunt, & non aperiantur, nisi maxima urgente necessitate.

Nemo cujuscumque sit gradus, sexus, vel conditionis ingredi audeat intra Monialium claustra sine nostra licentia inscriptis obtenta sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reservatæ. Hinc Abbatissæ, & portarum Præfectæ habeant penes se Catalogum, in quo scripta sint nomina Ministrorum, qui de more, & prout necessitas urget, in Monasterium ingredi possunt, hinc citra necessitatem numquam admittantur. Medicus, & Chirurgus dum ingreditur duas Moniales ex senioribus comites ubique habeat, recto tramite ad Cellam infirmæ Monialis procedat, & munere impleto, statim exeat. Antequàm verò introducatur signum cum campanula detur, quo singulæ Monialium admonitæ in suas Cellulas se recipiant.

Arbores nimis præexcelsæ prope Monasteria extantes, adeò ut earum cacumen ipsorum muros superet, vel exæquet, eradicentur, neque aliæ conserantur. Item fenestras, quæ prospectum habent in Monasteria claudi mandamus. Qui ex adverso Monasterii parietibus sistens de nocte, & cantu, vel sonitu obstrepit pœna carceris puniatur.

§. III.

Regulares meminerint, ut superiùs statutum est, sibi non licere ad Sanctimonialium Monasteria accedere; nec etiam in eorum Ecclesiis celebrare sine nostra expressa licentia, excepto die Festo Titularis Ecclesiæ, in quo tamen Moniales ipsæ dictam licentiam petere tenentur, exprimendo numerum Regularium, qui ad Missam celebrandam accedere debent.

Cantoribus, eorumque Magistro prohibemus ad Monasterium Monialium accedere, eas docendi causa cantum, vel sonitum sine nostra facultate in scriptis obtenta, monentes eos, qui talem facultatem obtinuerint, nè colloquantur nisi cum Mulieribus, quarum respectu ob disciplinam musicalem accessum ipsorum concedere Nobis visum fuerit.

Procuratores, Advocati, Syndici, Exactores, & omnes alii litium, & exactionum negotia tractantes, de iis non agant, nisi cum Monasteriorum Abbatissis, vel Præfectis ad hæc deputatis, nec absque nostra facultate, & approbatione audeant hujusmodi officia asciscere.

Eleemosynæ dotales pro puellis ad Monialium statum transeuntibus, non assignentur in bonis stabilibus, aut censibus, sed semper solvantur in ære. Dotes verò durante probationis anno deponantur in Monte pietatis, & post emissam professionem investiantur, vel in bonis stabilibuss, vel in censibus ad Monasterii utilitatem.

§. IV.

Vota, & Constitutiones propriæ Religionis Sanctimoniales omninò servent. Statutis horis omnes, & singulæ Choro intersint. Unaquæque ad proprium stallum se recipiat, nec discedat, nisi divinis officiis persolutis. Præter horas Canonicas bis singulis diebus Orationi Mentali vacent per horæ dimidium. Dum sic à singulis mens ad Deum elevatur, nulla sit, quæ in loco audientiæ sine legitima causa, & ed

Abba-

Abbatissæ licentia moretur. Quacumque solemnitate suarum Ecclesiarum, vel occasione ad Religionem, vel Professionem ejusdem aliquam Virginem admittendi, Musici non vocentur.

Unaquæque Monialium suas annuas pecunias, quæ pro livellis inserviunt, in ærarium Monasterii referat, cujus clavis apud Monasterii Præsidem custodiatur; tantumque liceat singulis quatuor Julios apud se retinere. Amicitiam, & familiaritatem tàm sæcularium, quàm Ecclesiasticorum nè dum in loco audientiæ, sed etiam per litteras omninò vitent; munuscula non accipiant, neque mittant, nè post parietes, & claustra spiritus earum vagare incipiat in viis sæculi, & damnationis. Peculiares inter ipsas consuetudines caveant, nè discordiarum fomes suscitetur, ut alta, & religiosa tranquillitas undique vigeat.

Quæ inter Moniales recipiuntur ità sciant legere, ut divinum officium facilè canere, vel recitare queant. Nullam Virginem liceat ad Religionem admittere nisi prius ejusdem nomine libellus supplicationis Nobis porrigatur, in quo videatur vocatio ad statum Religiosum, & desiderium habitus suscipiendi, quod etiam volumus approbari ab omnibus Monialibus capitulariter congregatis per vota secreta. Item antequàm aliqua puella ad habitum Religionis, vel ad Professionem admittatur, præmittat per decem dies exercitia spiritualia.

§. V.

Abbatissæ, & Syndicæ, ut prudenter Oeconomiæ munus possint exercere, Syndicos consulant, qui debitis temporibus necessarias provisiones, & meliori conditioni, qua par est, faciant, fructus, & proventus opportunè vendant, prædiis, & agris utiliorem cultum curent. Syndici autem, vel per se, vel per alium singulis annis visitent bona ruralia Monasteriorum, diligenterque observent, & investigent qua fidelitate, quovè labore Rustici deserviant.

Numquam licitum sit Abbatissis, vel aliis Monasteriorum

Præfectis bona ſive mobilia, ſive immobilia vendere, alienare, in pecunias inveſtire, aut permutare abſque Noſtra licentia. Omne peculium vel exactione collectum, vel ex redditibus, & alio quocumque modo retractum, apud Abbatiſſam ſervetur in loco tuto, & Clavibus munito.

In viciniis Monaſteriorum Monialium ſpectacula, cantus, ſaltus, ludos, & actiones quaſcumque profanas, unde ſtrepitus oriatur omninò prohibemus, nè animi Sanctimonialium ab officiis divinis, & in jugibus meditationibus diſtrahantur. Contraventores ſive fuerint Viri, ſive Mulieres carcere, vel exilio punientur.

Moniales diebus recreationis ante Adventum, vel Quadrageſimam, vel etiam alio quoque tempore, habitum virorum non adhibeant, neque armis ſe cingant. Numquam ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ audeant ad Crates accedere alio habitu, quàm religioſo indutæ, ut à ſæcularibus videantur.

Parentes Puellarum, quæ habitum Religionis ſuſcipiunt ab omni exceſſu expenſarum abſtineant. Hinc expreſsè prohibemus tàm ignes noctu ſuccendi ante fores, vel circa Mœnia Monaſterii in pervigilio diei talis ſuſceptionis, quam ſclopos explodi, turbarum ſtrepitum, & hujuſmodi. Hæc enim omnia multum ſapiunt ſæculi, nihil Religionis. Bis, vel ter in anno dari volumus Confeſſarium extraordinarium Sanctimonialibus, quem Abbatiſſa petere teneatur, etiam irrequiſita, etiam majori parte Religioſarum renuente. Omnes adire teneantur dictum extraordinarium nulla omninò excepta, etiam ſi ſolùm benedictionem petituræ, nè ſingularitates habeantur. Confeſſarius verò Ordinarius caveat, nè oſtendat ſibi diſplicere Extraordinarium vocari.

TITU-

TITULUS SEXTUS

De Vicariis Foraneis.

§. I.

IN tota Diœcesis nostræ latitudine vigiles oculos aperimus, quoties Vicarios Foraneos declaramus; Ita postulat animarum numerus, quæ Nobis commissæ sunt, & distantia locorum, in quibus præsentes esse non valemus. Quamobrem Vicarii Foranei legant sæpius hujus nostræ Synodi Decreta, atque ab omnibus servari curent, & quos compererint inobedientes piè moneant, quod si contumaces repererint; Nos, vel nostrum Vicarium Generalem certiorem faciant.

Vitam, moresque omnium Ecclesiasticorum in suo Vicariatu existentium explorent. Videant, an Parochi resideant, an Ecclesiæ decenter custodiantur, an lampas diù, noctuque ante SS. Eucharistiæ Sacramentum accensa præluceat, an pendeant in Sacristiis Tabellæ onerum Missarum, legantque libros, in quibus satisfactiones inscribuntur, & diligenter videant, qua Sacerdotum manu, seù caractere notata sint.

Inquirant, an Parochi in administrandis Sacramentis sint solliciti, itaut nemo ægrotantium præmoriatur ante Sacramentorum administrationem. Inquirant etiam, an statis diebus, & horis pueros, & puellas in Doctrina Christiana sufficienter erudiant; an die Dominico inter Missarum solemnia Evangelium genuino sensu explicent, & hujusmodi; Inquirant etiam, an Parochi singulis annis saltem in Paschate Mulieres obstetrices examinaverint de ritè baptizandi modo, & quoties repererint eos defecisse, easdem ad se vocent examinaturi, quæ si renuerint careant munere obstetricandi, & inobedientes puniantur pœna unius aurei scholis Doctrinæ Christianæ applicandi.

§. II.

§. II.

IN rebus, & Juribus Ecclesiarum tùm servandis, tùm recuperandis Parochos urgeant, videantque, nè quid eorum incuria à Laicis usurpetur. In distributione eleemosynarum locorum piorum non sint acceptatores personarum, nec convenientes in rationaria redditione redditυum Confraternitatum. Congregationes Casuum Conscientiæ in iis locis, in quibus faciendæ sunt, sic peragant, ut nec vel minimum omittatur; & vota omnium Interessentium recolligant, & ad Nos, vel ad nostrum Vicarium Generalem mittant. Summam curam habeant, nè dies festi servilibus operibus violentur, nec licentiam concedant, nisi summa necessitate impellente.

Si aliquod delictum in eorum Vicariatu committatur audiant statim offensorum accusationes, & querelas, suscipiant quoque depositiones testium, & per fidele nuncium ad Curiam nostram transmittant. Quod si delictum de illorum genere fuerit, quæ post se vestigium relinquunt, statum, & corpus delicti cum omnibus circumstantiis adhibito Notario peculiari diligentia conficiant.

Causas civiles usque ad summam scutorum quinque ad forum Ecclesiasticum spectantes consuetis Juris modis terminent, justitiamque ministrent, in gravioribus autem negotiis non se ingerant, sed præcipiant Curiam Nostram adire.

